


L[illegible]ISELE[illegible]I

Observationes

Medicæ de Peste

Bru[illegible]ensi









# LAURENTII GISELERI OSTERODENSIS MED. D.

ET PHYS. REIPUBL. BRUNSVI-
CENSIS ORDINAR.

# OBSERVATIONES MEDICÆ DE PESTE BRUN-SVICENSI

Anni M DC LVII.





*BRUNSVIGÆ*

Sumptibus CHRISTOPH-FRIDERICI ZILLIGERI,
ANNO M DC LXIII.

INCLUTÆ REIPUBLICÆ
BRUNSVICENSIS
# MAGISTRATUI
VIRIS
*Nobilißimis, Amplißimis Consultißimis, Prudentißimis, Clarißimis*

Dnn. CONSuLIBuS
Dnn. CAMERARIIS
Dnn. SENATORIBuS
Dnn. DECEMVIRIS


*ut &*

EJUSDEM REIPUBLICÆ
TRIBuuM MAGISTRIS
PLEBISque TRIBuNIS
VIRIS
*Spectatißimis, Honestißimis, Vigilantißimis, longoq; rerum usu Experientißimis*
Patronis, Fautoribus & Amicis eâ, quâ par est, animi devotione honorandis, suspiciendis, & amandis

*D. D. D.*

LAURENTIUS Gieseler D.
Medic. Ordinarius.





*SEneca Ovidium à deſcribendo Ætna deterritum refert, quod illum à Virgilio jam ſciret ſatis decantatum. Subiit non ſemel animum meum cogitatio* Ampliſſime Senatus, Statusq; ſpectatisſimi, *nonnulla, quæ obſervata præteritâ ſæva peſte heîc ſunt, publicæ luci dare, cùm quædam notaverim, quæ non facilè alibi occurrunt, aut temerè legas apud ullum ſcriptorem. Verùm enim verò idem mihi ferè contigit, quod Ovidio in deſcribendo monte Siciliæ, qui vulcano ſacer erat, quiq; per noctem flammas evomebat per hiatum ſtadiorum XX. Conſpecto enim & perlecto Athanaſii Kircheri Mathematici Romani longè celeberrimi, ingenioſi ſanè & ſummè induſtri Viri de Peſte libello illicò hæſit animus, calorq; pene omnis & fervor quicquam de hac re commentandi evanuit, tum quod haut vanè forſan conjiciebam, vix quidquam addi poſſe novis iſtis Kircheri ingenioſè inventis, (quanquam non omninò librum iſtum ab abſurdis quibusdam posſis vindicare) tum quod bene ſciebam varia hanc meam ſcriptionem experturam judicia, eaq; plurimùm diverſa & perverſa, quanquam non ſtimulet me veſana quorundam libros ſcripturiendi libido aut inſatiabile ſcribendi cacoëthes, præſtareq; ſæpius Socratis exemplo* λαθὼν βιώσαντας, *eoq; ægrius potui à me hoc impetrare, quò mearum magis ipſarum virium bene mihi ipſe ſim conſcius: Et tamen* ante omnia neceſſum eſt ſe ipſum æſtimare, quia ferè plus nobis videmur poſſe, quàm poſſumus Senec. de Tranq. animi c. IV. &

Turpe eſt, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.

*Vicit tamen tandem clarorum quorundam Virorum inſtinctus ſtimulusq; & veſtrorum præcipuè nonnullorum, Patres Ampliſſimi, admonitio, imò & compulſus etiam in publicis ſolemnibus congresſibus plus ſemel repetitus*

*titus, huic enim reluctari justæq; vestræ postulationi diutius obniti nefas duxi, officioq; meo minimè congruum.*

*Debentur autem Historiæ hæ præ aliis* Vestro Magnifico & Amplissimo Ordini, *atq; iis, qui Vobis proximi consiliorumq; arctiorum sive secretiorum non postrema pars sunt,* DecemViris *scilicet, Dominis & Amicis itidem meis spectatissimis, Vos enim me pro Medico vestro ordinario ultrò constituere dignati estis, & hæc ita acta esse in Republica vestra bonam partem ipsi novistis, tum ut vobis in memoriam revocem singularem divini Numinis clementiam, quâ nullus ex Dnn. COSS. dira hac lue affectus est, etiamsi hujus aut illius ædes furorem pestis expertæ fuerint haut mediocriter. Nec* Vos, Status & ordines inclutæ nostræ Reipublicæ celeberrimi, *qui & ipsi in partem curarum publicarum venitis, & certos in Republica honores geritis, debuistis præteriri, quod enim omnes tangit, debet ab omnibus vel probari vel rejici: Vobis vero vestrisq; & pestis tempore & nunc maximam partem medicinam feci, &, ut spero, non infelicem eam, aut planè infrugiferam, ideoq; potestis & Vos de his judicare ipsi, eaq; vel commendare vel reprobare. Hæc si vobis placebunt, abunde lætor, sin secus, feci tamen, quod jubentium voluntati fuit congruum. Accipite ergò* Patres P. Amplissimi, DecemViri spectatissimi Ordinesque honoratissimi, Observationes *has eo, quo Vobis offeruntur animo, & eum, qui dudum vester fuit, benevolentiâ & favore vestro non exuite. Quod reliquum est, precor & opto animitus, ne concedat Altissimus in pejus fluere retroq; sublabi res vestras, sint potius tutæ omnes & tranquillæ, adfluentia opum ingens,* Regum Principumque *in vicino atq; etiam procul Gratia & Benevolentia erga Rempubl. Vestram firma sit atq; perpetua. E Musæo meo, quod est Brunsvigæ, ipsis Idib. Mart. Anno M DC LXIII.*

HER-

# HERMAN. CONRINGIUS LAVRENTIO GISELERO M.D.

## V. C. & Physico inclutæ urbis Brunsuigæ eximio,

## *S. P. D.*

NOn possum non laudare institutum tuum, Clarissime GISELERE, publicandi historiam eorum quæ tibi in nupera illa lue pestilenti, qua inclyta urbs Brunsuiga graviter fuit afflicta, obtigerunt. Cùm enim, ut aliarum artium scientiarumque, ita & Medicinæ nostræ, duo sint immota fulcra, Experientia & Apodictica Ratiocinatio, quas inter illa ut tempore prior ità certitudine alteri par est; hinc indagaturis mali istius naturam omnem & rectam medicationem necessum est, Experientiam ante omnia ut consulant. Et quidem cùm Experientia propriè in singularibus eventis occupetur, ex singularibus autem illis jam compertis demum universalia axiomata formentur; quæ itidem, etsi minus rectè, Experientiæ attribuuntur; non potest non ipsum scientiæ omnis exordium ab illa, quam Tu instituisti, Experientiæ specie accipi. Nec tamen hactenus ferè quisquam, circa hoc quidem morbi genus, multa adeò publicè communicavit singularia experimenta, quàm abs Te est factum: eoque tanto majores tibi gratias posteritas debebit. Id quod ideò etiam poteris tibi certò polliceri, quandoquidem haud videtur mihi pestilentium morborum cognitio plenè hactenus nobis innotuisse: cùm tamen intersit plurimùm tàm funesti & tetri mali nihil ignorare. Multiplex scilicet luis forma uno Pestis nomine comprehenditur: quæ omnis hoc quidem habet commune, quod magnam hominum stragem ci-

tò edere ſoleat, cœtera autem multùm eſt difformis, variamque proinde curandi rationem poſtulat. Præterquam ſanè quod colica quædam peſtis jam olim Paulo Æginetæ fuerit memorata, Pleuriticas, Peripnevmonicas, Phreneticas, Hepatiticas, Anginoſas, Sudoriferas, patrum & noſtra ætas perpeſſa eſt: quasdam etiam à cauſis naturæ vires excedentibus profectas. Quamvis etiam longè ſint frequentisſimæ quas bubones & carbunculi comitantur, etiam illæ tamen aliis quàm multis ſymptomatibus plurimùm ſæpè diverſæ ſunt. Quod vel ex illis liqueat, quæ Rolandus Capellutus de Peſte Parmenſi retulit ſingulari opuſculo: quod ego propterea dignum jam antehac cenſui quod abs me denuo in lucem revocaretur. Ac Tua quidem obſervata illuſtrant cumprimis buboniæ Peſtis naturam & medelam. Eo autem illa ſunt utiliora, quo illud mali genus mortales nos affligit ſæpius, atq; adeò ſæpius cùm præcaveri tum tolli debet. Nec verò veterum quidem monumenta hic nos multùm juvant. Imò vereor ut illi peſtilentium morborum omnia habuerint plenè explorata: quamvis Hippocrates iſthoc cumprimis nomine quam maximè ſoleat laudari. Saltim paucis utique violentia, nunquam penè non in Peſte graſſantis, contagii perſpecta videtur. Quæ res ſuperiore ſeculo ipſos magnos illos Medicos Patavinos, Capivaccium, Mercurialem, & Aquapendentium circa Peſtem Venetam & noſtrum quoque Joannem Cratonem circa Germanicam, in gravisſimos errores conjecit. Tuæ ſanè Obſervationes luculenter & contagii & peſtilentis veneni vim oſtendunt: non catharticis ſcilicet, non venæſectione, ſed alexipharmacis potisſimùm profligandam. Imò nihil penè non rectæ de Peſte Bubonia doctrinæ, exploſis Helmontianis ſimilibusq; de illa deliriis, Tua illa obſervata mirificè confirmant. Quapropter ipſe etiam, quæ antehac & ore & ſcripto de Peſte docui, tuis illis perlectis, jam majore quadam fiducia & teneo, & aliis trado. Perge verò, mi GISELERE, ceu cœpiſti; & quicquid obtigerit in facienda arte dignum memoratu, priſtina diligentia calamo annota. Ad hoc opus ſanè, præter inſignem proprium tuum uſum, invitant Te exempla maximorum quorumq; medendi artificum, imò ipſiusmet principis Hippocratis: cujus Epidemia

mia utique non alterius sunt argumenti. Vale & plur. salve. Helmestadii in Acad. Julia 3. Non. Mart. 1663.

## *Ex alia ejusdem Conringii Epistola exceptum.*

REvertitur tandem ad Te liber tuarum circa Pestem Observationum. Perlustratus ille est à me, simulq; in conventu Collegii nostri multis nominibus laudatus omnium accedente suffragio. *Et post alia*: Liber tuus mihi cumprimis perplacet, adeoq; me judice dignus quàm maximè est, qui videat lucem publicam. Id sanè excitabit exemplum alios ad similem industriam adhibendam, eoq; rem medicam experientiâ confirmandam. Perge v. Tu, quo cæpisti modo Artem nostram & feliciter facere & observando juvare atque illustrare, simulq; longum vale multorum commodo.

---

## *In observationes de pestilentia Brunsuicensi CL. V.*

# LAURENTII GISELERI.

NUminis irati vindex & triste flagellum
Dira lues, miseris terris incumbere jussa,
Mista senum ac juvenum nullo discrimine densans
Funera, nec pueris parcens tenerisve puellis,
Civibus atque urbes viduans agrosque colonis;
Tam variis horrenda modis vultuque habituque
Incedens late stragem mortalibus infert.
Nil memorare juvat, quas senserit Ausonis ora
Vastaque Parthenope clades. Byzantia regna
Mitto & Sauromatas. Patria ô satis ipsa malorum
Est experta domi, casus nec postulat ullis

Illustra

Illuſtrare ſuos peregrinis. Ecce recentes
Luget adhuc obitus & funera acerba ſuorum
Atque rigat lacrymis mœſtas Brunonia tumbas.
Teque eadem rapuit tunc vis, Hieronyme dulcis,
Et quondam pars magna mei. Succurrere feſſæ
Dum patriæ ſatagis, tætri morbique nefanda
Sævitie presſis præſens afferre levamen:
Occidis exanimis, properata morte peremtus.
Usque geram memori te pectore: nulla vetuſtas,
Nullaque te menti eripient oblivia noſtræ:
Donec in ætherea rurſus ſociabimur aula.
Felix, Laurenti, rigidi violentia fati
Cui parſit, ne plane omni ſpoliata periret
Civica res, afflicta nimis, ſolamine fido.
Vive diu, incolumisque feras languentibus ægris
Auxiliatrices herbas ſuccosque medentes.
At tu, ſiderea cæli qui celſus ab arce
Deſpiciens mundum hunc æterna lege gubernas,
A nobis poſthac tales avertere peſtes
Et quæcunque velis morborum ſemina clemens.
Sis nobis placidus. Patriam pax incolat alma.
Et donis ditata tuis plenisque caniſtris
Usque ſuas effundat opes nutricula tellus.
Sic belli rabie procul & contage maligna
Ævum hoc degamus tum nos ſerique nepotes.

*Valentinus Henricus Voglerus.*

---

M*Agnus erat quondam* Hippocrates, *artisq; medendi*
*Præcipuus, famâ celſum ſuper æthera notus;*
*Depoſitos capulis ægros & faucibus orci*
*Eripiens, ſævô fere jam* Plutone *vadatos:*

*major*

*Major erat, medicæ leges dum condidit artis;*
*Quæ densâ quondam jacuit caligine secli*
*Obruta, & arbitrio vani temerata popelli:*
*Maximus ingeniô, pestem amolitus* Athenis,
*Professusq; luem succensâ cedere sylvâ.*
*Hinc statuam magnosq;* Viro *decrevit honores*
Græcia, *summorum genitrix memoranda virorum.*
*Macte animi* Giselere! Senem *felicibus ausis*
*Dum sequeris, medicasq; manus languentibus ægris*
*Porrigis, aut nomen scriptis in secula profers,*
*Horrendumq; doces* λοιμῶδες *corpore virus*
*Pellere, successu non infelice medendi.*
*Ipsa tibi* Virtus *pro tanto munere grates*
*Persolvet meritas, nec edent oblivia famam.*

*Testandæ benevolentiæ*
*scribebat*

Paulus Neukrantz/Phil. & Med. D.
Reipubl. Lubec. Medicus.

---

*Ad Nobilissimum, Excellentissimum Experientissimumq;*
*VIRUM*
Dn. LAURENTIUM GISELERUM MED. D.
ET PHYSICUM REIPUBL. BRUNSVICENS.
CELEBERRIMUM,
Cum observationes Medicas de Peste ederet.

*Dum tu describis diri mala semina morbi,*
*Et docto calamo singula quæq; notas,*
*Quid faciat morbum, quæ sit Natura Veneni,*
*Et quam deposcat languidus æger opem,*

*Hybleas imitaris apes, quæ cuncta pererrant,*
*Et docili rostro dulcia mella parant*
*Naturæ cœlestis opus: sic plurima condis,*
*Plurima sic solida, qua decet arte legis*
*Quæ tibi cum cedant, Musis Phœboq; secundis*
*Virtutis merces GLORIA parta tibi est.*

Joannes Albertus Hußwedel Phil. & Med. D.
Reip. Hamburgens. Physicus Ordinarius.

## *Ad LAURENTIUM GISELERUM M. D. & Physicum Brunsvicensem, observationes suas edentem.*

SAlve, delities amorque Phœbi,
Laurenti, cui plurimùm favemus,
Quicunque Aonias amamus artes,
Et Coi studiis sacris tenemur.
Nam, quicquid vehit ignei veneni
Pestis, seu volitans die per auras
Claro, seu mediâ ferens sagittas
Acres nocte, doces, notasque chartis
Doctis, & statuis modum veneno,
Ne instar fulminis afferat venenum
Clades, mille modis nocere tentans.
Sanè, difficile & laboriosum
Opus, quodque dedit Stygis paludi
Plures, dum cupiunt notare lethi
Vim, lethique modos, malique causas.
Felix tu, ter & amplius, vocandus.
Non frustra tibi contigit cavisse
Pestis tela, notando vim veneni,

Curan-

Curandique modum parùm expeditum,
In re difficili & periculosa.
Vale, præsidium decusque Coi.

*Christianus Busmannus Ph. & M.D.*
*& Physicus Hanoveranus.*

*Ad Amplissimum & Experientissimum*
*Virum*

# Dn. Laurentium Giselerum Med. D.&

Physicum Brunsvicensium meritissimum;

*Affinem & Amicum plurimum colendum, Observationes*
*de Peste edentem,*

*Res cedro digna est, magnâ dignissima laude*
*Herbarum vires callere, usumq; medendi:*
*Hydropem, sævamq; luem, febriumq; cohortem*
*Arte salutiferâ novisse repellere dextrè.*
*Non minus est præstans, sed nec minus utile factum,*
*Ingenii monumenta dare, & conscribere libros,*
*Queis possis etiam seclis prodesse futuris.*
*Tu, GISELERE, uno minime contentus utrumq;*
*Conjungis, morbosq; fugans, doctumq; volumen*
*Evulgans de* Peste *tuum. Tibi jure* vicissim
*Hinc geminus debetur honos, hinc postera saltem*
*Ætas quam tribuet, Tibi laudis adorea surgit.*

*Helmstadio mittit*
Andreas Frölingius in Acad. Juliâ P.P.

# *Præfatio ad Lectorem.*
## Εὖ Πράττειν.



Uintus nunc labitur annus, Benevole Lector & candide, quô dira lue pestifera mirum in modum affligebamur, tot millibus paucorum mensium spatio sævâ peste intereuntibus. Semestri, & longiori illo tempore observata mihi nonnulla sunt, quæ utique merentur tecum, Lector, ut communicentur, eris tamen prius de quibusdam amicè admonendus. Et primò quæris forsitan, cur non citius hæc publicaverim, tot annis interim elapsis? Hujus facti rationem habes in dedicatione. Præterea *librorum multitudo non parit scientiam, sæpe etiam impedit & discentem potius onerat turba librorum, quam instruit Senecæ effato cap. IX. lib. de Tranq. animi, multoq; satius est paucis te Autoribus tradere, quàm errare per multos. Quò etiam respexisse videtur Martialis Epigramm. lib. IV. Ep. XXII. inquiens:*

*Obstat chare Pudens nostris sua turba libellis*
*Lectoremq; frequens lassat & implet opus.*

Cui nunc addo consilium *Horatii, lucubrationes scilicet nonum debere premi in annum*, nec ita statim nimio sui amore in publicum protrudendæ, aliàs paucis mensibus potuissent hæc absolvi. Quæris secundò, cur non ubique apposuerim ipsa, quibus in singulis subjectis usus fuerim, medicamenta, & curandi modum? Fateor certè, è re hoc futurum fuisse juniorum medicorum & commodo, iis enim ut filo ariadnéo felicius & facilius è difficili & intricato pestis labyrintho se expedire inq; rectam sanitatis semitam ægros suos deducere posset, tantum enim vix superest sæpe medico temporis grassante peste, præsertim in magnis & populosis civitatibus, ut prius evolvere possit hunc vel illum autorem de Contagio commentantem, & consulere illum, quid in hoc vel illo individuo variis sæpeque diversis symptomatis infestato maturè facto opus sit. In hoc, inquam, non frustra posuissem operam, si cuilibet observationi sua medicamenta apposuissem, ut utroque extemplò, exemplo scilicet & remedio, potuisset uti medicinam ægrotis facturus. Verùm enim verò condonabit ex facili mihi, qui cum animo suo reputaverit, quàm molestissima & laboriosissima fuerit praxis eo tempore, paucę enim horæ, etiam quæ edendi tempori destinantur, mihi fuerunt vacuę, quibus non continuâ ægrotantium curatione fuerim interpellatus, & avocatus: à summo insuper manè ad crepusculum usq; vespertinum cursitationibus per plateas defatigabar, ita ut precationem matutinam recitare ordinariam mihi sæpe haut fuerit integrum, nedum speciatim notare, quę cuivis subjecto præscripserim. Eam ob causam ex tot millibus vix hæc pauca potuerunt observari accuratè: Audita, & quę non accuratè & quasi cum nota notavi, tecum, Lector communicare nolui, aut tibi obtrudere. *Historia quippe est* secundum Verrium Flaccum apud Gell. V. Noct. Atticar. c. XIIX. *propriè narratio earum rerum gestarum, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narrat.* Imò planè de me possum polliceri, quod Dion Cassius de seipso lib. XXVII. dum inquit: *Hæc autem Ego, cæteraq; omnia, quæ sequuntur, non ab aliis audita, sed à me observata notavi.* Aliàs plura fortè millia, quàm hic vides centurias, curavi, quorum tamen pars magna cum his affinitatem & similitudinem habet,

bet, ut ita non fuerit necessum singulis observ. medicamentorum formulas adscribere: Videbis tamen sparsim medicamenta in multis observationibus posita, quibus cum sperato fructu uti licebit, potiora nonnulla, quorum Ego vim expertus sum efficacem, quibusq; præ aliis plurimum fidendum, deinceps notabo. Tandem quis tacitè posset secum mussitare & pendere animi, an omnia ita contigerint, uti narrantur, & anne concipienti placuerit interdum ψεύδειν. cùm paucis fortuna ita illucescat, ut superstites à peste, qua cum continuò pugnandum ipsis fuit, maneant, & incolumes, reiq; veritati possint attestari. Ferè simili modo, uti *Vossius de Idololatria gentium inquit: Indorum scriptores maximam partem mendaces fuerunt. Et Strabo lib. XI. quod difficulter redarguantur, quæ de longè dissitis narrantur.* Quâ scabie Græcos historicos laborâsse multi notârunt. Hinc Euripides in Iphigenia:

Fidem Græcia non novit.

Et juvenal. Satyr. X.

- - Et quicquid Græcia mendax
Audet in historia.

Et Aurelius Victor in Caligula: Græcorum dicto, queis augendi omnia studium est. Verùm cùm plures adhuc per Dei gratiam, quibus feliciter medicinam feci, vitali fruantur aura, possunt isti testimonium dare omni dubitanti, fidemq; meam omni deprædicare modo, mihique ubi opus fuerit, in hoc μαρτυρεῖν. Commodum pro me hic possum adducere Herodianum, qui sub initium lib. I. ita loquitur: Ego non quidem acceptam ab aliis, aut incognitam, aut testibus egentem historiam, sed eorum, qui legent, sensibus adhuc memoriæq; inhærentem, summâ vel fide, vel diligentiâ collectam, conscribendam suscepi.

His prælibatis restant adhuc quædam addenda de præservatione, præcautio enim morbi est caussarum illius vel declinatio, vel prius quàm lædant remotio. *Serò enim animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur Sen. de Tranquill. animi c. IX.* In ea multi & magni committebantur errores à quam multis, qui nimium vitæ suæ timebant quod hîc notare omninò necessarium duco.

Inprimis verò vitæ emendatio præcedat oportet, ut homo sit Dei metuens, *integer vitæ, scelerisq; purus. Cùm terra Attica, magnâ pestilentia laboraret, incolisq; in magnis angustiis constitutis Pythia consulta respondisset, expiari oportere urbem & agros, nec, cui Deo sacrum fieri oporteret, dixisset, Epimenides, qui tum Athenis fuit, jussit dimitti hostias per agros sequiq; eas sacrificos, & in quo loco quæq; constitisset, ibi mactari eam immularique Deo ignoto propitio.* Eò respexit Lucas in Actis Apostolorum *c. XVII.* inquiens: εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, ἀγνώστῳ θεῷ. *Et Pausanias* θεῶν ἀγνώστων βωμοὶ, *ara diis ignotis sacra.* Nos Deo ignoto sacrum facere aut ipsi hostiam immolare non debemus, cùm nobis Christianis satis constet ex sacro codice, cui Numini divinum honorem exhibere debeamus. Constat autem honor iste aut sensu aut cultu. Utroq; venerandus omnipotens & misericors Deus est, ut contra luem pestiferam nos muniat, contraq; illatam medicamentis vim addat eaq; efficacia esse jubeat.

Præservamus corpora nostra præmunimusq; nos ab ingruente hoste Sex rebus, non Naturalibus medicis dictis, de quibus singulis διὰ βραχέων & fortè ταχύτερον. Aër, quem primum in istis numeramus, in corporibus nostris alterandis plurimum valet, eo enim ne horulæ quadrante carere conceditur nobis, nunc rarefacit, nunc densat corporis habitum, jam frigesimus eo, jam calescimus inde intensè, nunc agiles, torpidiores nunc ejus afflatu inspiratuq; reddimur,

Tanta equidem vis est aëris per cuncta meantis,

ut etiam antiquitas divinitatis nomine ipsum insigniverit, eundemq; Diogenes Apollinaris Deum



appel-

apellare non dubitaverit. Variat autem Aër multum ratione loci & temporis, ita enim *Hipp. de aëre aq. & loc. Loca & tempora diversa formarum naturam variant.* Situs itaque cujusque loci maximè attendendus. Urbis nostræ positus satis salubris & commodus, in plano enim ædificata undiq; ventis perflatur, solisq; orientia lumina optimè aerem illustrant, nec sylvæ aut luci ventos, quò minus ventiletur aër, excludunt, estq; ita affabrè constructa & artificiosè urbs universa, ut cum amplissimis & elegantissimis Imperii urbibus certare posse non immeritò quis dicat, non videas heîc platearum flexusos gyros & incongruas ambages cœno lutoq; refertas, nec extra urbem conspiciuntur multa stagna paludesq; cœnoso malequc olente limo abominabiles, potius immenso gaudet aquarum beneficio non longâ mora in alveo suo putrescentium, sed continuo & rapido cursu urbem mediam perfluentium, in quibus natantes conspicias pisces, quos plurimi ad fluminis alveum habitantes capiunt. Ocra siquidem magnus fluvius & altus in sua brachia divisus plurimas utilitates nobis affert, cujus beneficio

– υ *Nec ingrato vici vitiantur odore.*

Ædificia splendida, ampla & elegantissima, horti intra muros plurimi & amœni, omnis generis arboribus plantisque consiti, ut ita aëris ratione præ multis aliis locis meritò queamus gaudere. Ad elegantiam & claritatem civitatis nostræ etiam hoc, quanquam huc propriè non spectet, pertinet, scilicet quod non sit nimis parva, quam ne quidem esse civitatem Aristoteles autumat, quamque suis ipsam opibus non pollere, quod tamen civitatis proprium sit: nec nimis magna, magnitudine enim nimia non civitas sed gens fit. Tempore pestis si temperatus aër est in qualitatibus primis, optimus, si longius abit à συμμετρία ista, eò reducendus est, luculentus ignis ad purificandum aërem optimum censetur remedium, non est tamen plus justo siccandus aër, *cùm hic pestem faciat acutiorem ex Avicennæ sententia*, propterea diebus æstivis & calentibus possunt suffumigia fieri ex aceto cum rebus refrigerantibus ut rof. nymph. santalis &c. insternendę quoque herbę virides frigidiores ædium pavimentis. In cibo & potu plures delinquunt potius, meâ opinione, nimis ad libellam vivendo, quàm si paulò liberalius victitarent, multi enim ita tenuiter & parcè vivebant, omninò ut mutaverint corporis temperiem, qui dein peste correpti viribus citò exhauriebantur morboque ut plurimum succumbebant. Propterea nulli ero autor, ut pestis tempore esuriat, vel *Celsi monitu lib. III. c. VII.* aut de consueto demenso demat quicquam, nec prodeat in publicùm ventre vacuo. Non tamen susque deq; habenda Δίαιτα est, utpote quę multum momenti ad firmitudinem corporis conferat, *nec ullus ex cibo ita replendus secundum Avicenn. tert. pr. cap. de regimine ejus, quod comeditur, ac bibitur, ut non sit ibi locus superfluus, sed ab eo removendus reliquiis desiderij adhuc in anima remanentibus*, planè ad exemplum Cyri Persarum Regis laudatissimi, qui scribitur nunquam satur de mensa surrexisse, & nunquam sine appetitu accubuisse. Optimâ profectò ratione, nam quę parcè sumuntur, etiam non optima alimenta, superantur facilius à facultate coctoria, & *in exercitatione melius est excedere, in cibis melius est deficere* dicebat *Philos. 2. Ethicor. ad Eud. IX.* & *non satiari cibis, & impigrum esse ad labores, sanitatis studium esse* inculcabat *Hipp. VI. de morb. vulg. IV.* & *apud Macrobium VII. saturnal. cap. VI.* dicit *Disarius medicus doctissimus, vitandos esse cibos, qui ultra famem sitimq; appetentiam producerent.* Hinc *cibi parcitatem ad corporum proceritatem facere* habet *Plut. de Vit. illustr. in Lycurg.* Et existimârunt cum Erasistrato medici antiquiores, *hominem ferè semper ob alimentum ægrotare, quod vel sit immodicum, vel incoctum vel corruptum*: propterea rectè *Hippocr.* & *Serenus* dixerunt, *Ventriculum errantem toti corpori incommodare*, eleganter *Phocylides*:

Μέτρῳ μὲν φαγέειν κὴ πιεῖν, κὴ μυθολογεύειν,
Πάντων μέτρον ἄειστον. ὑπερβασίη δ᾽ ἀλεεινή.

Non

Non possum tamen valde patrocinari iis, qui nimis strictę se & certę diætę adalligant, corporaque sua emancipant, ut non sint homines mancipi & sui juris, piaculum reputantes & grande nefas morteq; piandum, si aliquando leges suas diętеticas excedere cogantur: næ illi magnũ errant errorem. Et merentur omninò legi hic elegantissima verba *Hippocr. Lib. I. Aph. V.* Τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι: *Sanis tenuis admodum, stata & accurata diæta est periculosa, quia errata postmodum difficilius ferunt.* Et *licet interdum ad insueta transire* ejusdem monitu, *ut errata faciliùs feramus.* Optimè notat ex Gal. comment. in de sal. dięta t. 1. Cl. P. Neucrantz in suo de Purpura libro, quod nimirum *suæ spontis esse debeat, qui se diætæ legibus obligare velit:* quemadmodum & Ἰδιώτας ad hanc rem postulabat Polybus, ἰδιοπραγοῦντας, *scil. propria privataq; negotia exercentes: Famulis verò aliisq;, qui* πρειστατικὸν *vitæ genus agunt, nulla exquisita cura valetudinis esse poterit, cum cibis, quorum datur facultas, uti cogantur. Cels. lib. I. c. I.* scribit, quod *ille, cui ad sanitatem nihil deest, nulli diætæ sit adstrictus, neq; medico se subjicere opus habeat, & homo sanus nullum cibi genus debet fugere, quo populus utitur.* Verùm non incongruè fortè aut inconcinnè huc accommodantur verba *Cl. Tulpij: Non inconsideratè videtur agere, qui circumspectè naturæ cedit inclinationibus, & obliquat prudenter sinus, ubi non licet rectum tenere cursum.* Regnante peste victus ad siccum vergat, & condiri debet aceto, acetis medicatis, Citri succo, ribibus, Berberib. cerasis, aliis: is enim minus putredini subjicitur, imprimis autem varietas ciborum omnis in una mensa vitanda, *nihil* enim *deterius, quam diversa nutrimenta in una mensa simul, & in commestione prolongare tempus ex Avicenna.* Et cumprimis, ut dicit magnus Conringius *in dissertat. de corporum germanicorum habitûs antiqui ac novi caussis, naturæ congruentissima est simplex illa quæq; hodie rustica censetur ac barbara vita.* Et diutius plerumque vivunt homines, *cum tempora sunt barbara & simplicioris victûs, & exercitationi corporis magis dedita: brevius, magis civilia, & plus luxuriæ & otij, ex Verulamio recitat Ionston. de naturæ constantia, populumq; Romanum per aliquot secula non nisi pulte & farre victitâsse Plin. testis est & Plautus,* cui propterea etiam *Pultiphagi* audiunt: devictâ verò Asia Luxuriæ primùm influxerunt Romam, quos, si quis alius, Lucullus videtur, & invexisse & auxisse atque ornâsse, & constat non aliunde majorem luxuriem fuisse epularum apud Romanos, quàm è piscibus, unde piscinarii nobilissimi Romanorum dicti, cùm vix sit cibus alius, quàm pisces, corruptioni magis obnoxius, in peste sanè parcè in usum trahendi, imò fugiendi. *Simplicem cibum esse optimum* dixit *Plinius*: nam *dissimilia quæ sunt,* ait *Hippocr. seditionem movent,* planè ut Respublica, quę omnis generis hominum plena est, seditionibus abundat. Singulatim hîc enumerare, quę ciborum genera vel fugere vel arripere debeamus grassante peste, cùm plurimi pluribus hoc monuerint, supervacaneum duco, dein an ordo aliquis, & qualis in cibis assumendis sit observandus, ut & quando, etiam supersedeo longiùs recitare, nec hoc argumentum tangam, an largiùs cænandum quàm prandendum, & an bis in die melius sit cibum capere quàm semel: etsi jucunda pariter & utilis de his posset institui disquisitio. Verùm exactam & immotam cuiquam vivendi regulam pręscribere, cùm varia sint, quę variant eam indies, ἓν ἐκ τῶν ἀδυνάτων est, quod & suo tempore jam sensit *Hippocr.* uti videre est *in principio lib. III. de diæta,* & δοτέον τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει, ex eodem *lib. I. Aph. XVII.* Dicebat *Cicero* quod *valetudo sustentetur notitiâ sui corporis & observatione rerum earum, quæ aut prodesse solent, aut obesse.* Et apud *Tacit. Annal. VI.* legere est, quod *Tiberius solitus fuerit medicorum eludere artes, atq; eos, qui post trigesimum ætatis annum ad internoscendum corpori suo utilia vel noxia, alieni consilij indigerent.*

In peste cùm omnis diæta ad siccum & moderatè calidum vergere debeat, liquet omni-

nò

nò & potum præcidi potius quàm augeri oportere eumque exiguum & tenuem pesti præcavendæ esse accommodatum. Hinc laudantur cerevisię defecatę, clarę, lupulo mediocriter conditę siccandiq; vim sortitę, qualis est Mummia nostra celeberrima ex multo lupulo hordeoq; cocta, sit tamen non nimis potens, aut ejusmodi, quę terra marique ad distantissima loca Garamantas usque & Indos vehitur, illa enim calidior est & efficacior, quàm id tempus requirit. Nec possum istam multum laudare Mummiam etiam extra pestem pro quotidiano potu, quę feces quidem ad fundum vasis deposuit suas, elutriata tamen & defecata nondum est, contra quàm vulgo creditur. Ætatem bene fert, & vel ideo à putredine concipienda remotior est, secus cerevisię non ita lupulosę. Et pręter id, quod lupulus durabilitatem cerevisiis dat, aperiendo abstergendoque crassitiem, obstructionis causam, corrigit, sanguinisque defęcationem, excrementitiarum partium separatione, adjuvat, etiam secundum *mesuem vim purgandi & sangvinem mundificandi habet*, quę purgandi vis clarè elucet in turionibus, quos primo verè pro acetariis sumimus. Inest & hordeo purgatorium quiddam juxta *Hippocr. lib. II. de diæta:* Et quò intensiorem colorem habet, eò meracior est, & consequenter calidior fortiorque, quò remissiorem, eò frigilior & debilior. Est tamen quod & in hoc potûs genere mediocritatem observes, non usque quaque enim coctioni conducit pręcipuè paulò liberaliùs pota Mummia, si enim laxandi alvum potestatem habet, statim apparet coctioni officere, alvumque movendo coctionem turbare, quod experientiâ quotidiana quoque fit manifestum. Optandum sanè foret, ut nostri assvescerent rursus, quod desveverunt hactenus magno sanitatis suæ dispendio, mummiano potui, & vix forent tot morbi ex obstructionibus & hinc nata putredine oriundi, ut sunt scorbutus, melancholia hypochondriaca, obstructio Epatis, Lienis & mesenterii. Breihania nostra pestis tempore non admodum salubris est, quia calidior, & obstruendi potestate ob triticum non omninò destituitur, aliàs non culpabilis potus est, multum nutrit, & quidem plus, quàm Mummia aut cæterę cerevisiæ lupulosæ, quæ ob majorem lupuli, qui purum putum medicamentum est, quantitatem magis medicamentosę redduntur, quàm cibales. Et immeritò sanè tam malè audit tam apud nostratium nonnullos, quàm exteros, modò debito modo maltum, quod *βύνην Aetius* dicit, pręparetur, & coquatur perfectè, postea depuretur sive transcoletur optimè. Cavendum insuper Zythepsę sedulò est, ne nimiam excitet flammam, quę desuper decoctum lambat, unde postea cerevisia adustionem sapit, nec utatur stramine, stipulis, aut lignorum ramentis, ut ignis confiat ad elixationem, tunc enim fumum olet & fuliginem sapit. Certè ingredientia si spectes, hordeum nempe & Triticum, ad quantitatem aquæ, non potest non quivis judicare optimam eam esse cerevisiam, quod autem fatuę nonnullorum gulę minus sapit, hęc potior ratio est, quod nimium recens bibitur, nec justam ac debitam ętatem acquirit,

*Non acidum sapiat cerevisia, sit bene clara,*
*E granis sit cocta bonis: satis ac veterata,*

dicunt *Salernitani*. Dein suspectam eam reddunt & invisam ii, qui nefario ausu & culpando meritò modo multorumque pręsentaneo sanitatis dispendio eam præparant, quando, cum jam deferbuit ferè vasisque suis excepta est & plane frigida, novam materiam ex priori decocto ad hoc aucupium reservatam omnisque fermenti expertem denuo super infundunt saltem ut dulcescat quorundamque palato fiat gratior. Aut, cum jam ex omni parte præparata debitumque ac justam nacta est ætatem, qua bibi solet, secundaria infunditur cerevisia quæstus tantùm faciundi ergò, præsertim quando emptores congregatim accurrunt. Verùm mixtio illa nova, cum jam cessat fermentatio, vera mixtio, quę debitâ fermentatione peragitur, non est, sed saltem humorum sive totius decocti confusio. Hinc cerevisię crassę, feculentę, facilè & citò acescentes, obstruentes, ventrem inflantes novamque in corpore, nescio quam, pravam fer-

fermentationem molientes, qui tamen mos plurimis non arridet, sed cane pejus & angve vitatur, qui nullo non encomio afficiendi. Halberstadiensi & Hannoveranâ, & quæ Regio-Lotharię coquitur, ob arctam occlusionem, cùm nihil tunc ad nos vehi Serenissimorum Principum jussu permitteretur, carere cogebamur, salubriores grassante peste futurę, utpote tenuiores levioresq; , in putredinem sive corruptionem procliviores tamen sunt nostratibus cerevisiis magisq; flatulentæ, prout hoc non semel probavimus. Aliàs non usque adeo cerevisiis favere, aut earum inventori videtur Plin. XIV. XX. inquiens: *ô mira Vitiorum solertia! Inventum est quemadmodum aqua quoque inebriaret cum frugibus alterata.* Quantum bibendum docemur à *Seneca l. de Tranq. anni c. IX. Cibus famem domet, potio sitim, libido, quò necesse est, fluat, hinc Vino forma perit, Vino corrumpitur ætas,* ut canit *Propert. II. El. IV. & Salernitani c. XIIX.*

*De qua potetur, non stomachus inde gravetur.*

Aliàs ad cibi in ventriculo elaborationem paucus potus sufficit, qui tamen calidorum sunt viscerum ad fallendam sitim paulò liberalius bibere possunt. Nec vino, quod ὀλιγοφόρον est, assvetis interdicendum. Laudat id *Marsil. Ficin. in Epidem. c. V. & VI.* suâ enim vi theriacali humores perniciosos corrigit, vires cordis roborat, & *admiranda suâ potestate theriacam longè superare* censet *Gvibert. Med. Offic. de Tuend. Valetud.* probatq; exemplo *exercitus C. Iul. Cæs. qui in Africa peste infectus exhibito generoso vino convaluit. Magis tamen pituitosis in morbis Epidemiis convenire, quàm aliis temperaturis vult Forest. l. 6. Observ. III.* Ab ardenti verò & inflammabili isto spiritu, quem Aquam vitę vocitamus, caveat sibi quisque, nisi qui diu ante ipsi assvevit, præterquam enim quod summè caleat, & κρᾶσιν temperiemq; corporis nostri longè excedat, etiam viscera nostra, quæ liquido temperato, & vix primum caliditatis gradum excedente gaudent, exurit, siccat, quę natura temperatè humida esse voluit. Et notat *Mercurial. in prælect. Pisan. hist. I. f. V. exemplo Thasiorum & Venetorum, bibaces, & qui vina generosa potant, acerbius peste corripi aliis. Crato* quidem *Consi. CCLXXV.* valde commendat *Aquam suam vitæ compositam, quam medicamentum regium* vocat, sed cum grano salis accipiendum hoc, ne Aqua vitæ vertatur in aquam mortis, cujus vehiculo vis contagiosa ad Cor retrahatur, quę ad cutim jam expulsa fuerit. Novi quidem multos, qui quotidiano ejus usu nihil noxę corporibus suis ascivêre, non sunt tamen facienda mala, ut inde eveniant bona, cùm è centum vix uni ejusmodi felicitas obtingat, pluribus contra irreparabile damnum exinde sentientibus, moderatus tamen ejus, ut & aliorum, usus non omninò improbandus. Et cùm calidus sit & siccus tempore pestilentię pro non insalubri προφυλακτικῷ cum commendat *Cl. Sebizius lib. II. de Aliment. Facult.* Quid de vinis ex multis calidis ingredientibus & aromatibus medicatis sentiendum in Observationib9 reperies. Parcus omninò earum sit usus, ut & cerevisiarum medicatarum, prę sertim quę cum cibo sumuntur ipsique pro vehiculo debent esse; cùm enim ipsarum ingredientia pura medicamenta sint, imò multa diuretica, ut Absynth. Caryophyllat, Enul. scolopend. rad. sassapar. Chinæ, &c. cerevisiam mehercules admodum alterabilem reddunt & medicamentosam, adeoque cibo in ventriculo coquendo ineptam. Distrahitur certè natura in Chylificationis opere ab istiusmodi adulterato & fucato liquore ad coctionem nihil conferente, utpote quę gratum, quique cum chylo in unam massam corpori alendo amicam coeat, potum desiderat; quod de cerevisiis medicatis asserere nescio an quis audeat. De *Diureticis* res ex *Gal.* plana est, & ratio hoc ipsum evincit, quod nunquam cum cibo danda, imò longius ante & à pastu sumenda, ne incoctum cibum celeri suo transitu ad arctiores meatus secum ferant, unde obstructiones & plura alia mala oboriri possunt. Hinc modum & morem inveteratum ab omnibusque receptum bibendi Fontes acidos sive Acidulas non possum non improbare, quando tam in prandio, quàm cæna aquam istam medicatam cum vino miscent pro potuque in mensa usurpant, cum



utrumque

utrumque diureticum sit, & aliàs maximo caveatur opere ne farto aut impuro ventriculo ista sumatur, constringendi quidem vi sua, quâ plerumq; pollent, possunt juvare ventriculi actionem, sed meliùs ista exeritur extra cibi tempus, quàm ventriculo cibi pleno, ubi metus est, ne incoctas cibi portiones secum avehat, quas præstaret prius coqui in chylificationis officina. Ita observatum, quandoque potu istius aquæ semen Anisi ad vesicam per mesaraica vasa, hepar, emulgentes & renes deductum esse. Quanquam non sim nescius, præclaris Viris hanc vini cum aqua mixtionem probari, tamen perplacet mihi consilium *Fallop. de Thermis c. XIV.* quo prohibet vina aqua thermali diluere, alterum enim ex altero corrumpi. *De cerevisia ex cerasis*, quę naturę magis familiaria tamen sunt, & quandam alendi vim habent, statuit *Sebizius lib. de Aliment. facult. quod in corporibus frigidis debiliq; Stomacho præditis facilè ventris tormina & colicos cruciatus excitet, aliàs visceribus æstuantibus potest prodesse.* Certè ad coctionem cerevisię medicatæ nil faciunt, imò turbant eam, ut vel hoc nomine parcius in usum trahendæ.

*Hippocr. VI. Epidem. sect. IV.* Motum inter pręcipuas sanitatis conservatrices caussas retulit. Planè enim ad eundem modum, quo ignis elementaris, sive culinaris noster, ita noster ignis animalis, τὸ ἔμφυτον θερμὸν, per motum gignitur excitaturque, ita per eundem fovetur ac conservatur, quod nemo omninò negat, nisi qui in rebus physicis planè sit hospes. Non debent tamen Motus & quies modum excedere secundum eundem, aliàs noxam corpori inferunt. Pręsertim tempore pestis, ne nimium moveamur, cavendum est, pręterquam enim quod plus debito incalescimus nimium nos movendo, etiam altè respirare cogimur, quò fit ut inspirando multum aëris attrahere necessum habeamus, qui si impurus est, non potest non magnum corpori nostro inde impendere periculum. Contra ne quiete dulci torpescamus in otioque nimio collectis humoribus obruamur sedulò annitendum, ut enim *tempore pacis & otij homines petulantes evadunt Arist. VII. politicor.* Ita humores in quiete efferuntur, rebelles fiunt, & seditionem in corpore moliuntur, & *homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret, contrarias namq; vires inter se habent cibi & labores, inter se verò mixti conferunt ad sanitatem Hipp. I. de Diæta, t. 11.* Contra *segnities & otium humectant & corpus debile faciunt II. de Diæt. t. XXIIX.* Motus pręterea absumit superfluitates calefaciendo, artus roborat ipsisque soliditatem affert & duritiem, & dum calorem auget, etiam coctionem adjuvat, *exercitatio* enim inquit *Hippocr. est artuum & carnium cibus.*

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα, κακόν, inquit, *Hippocr. Aph. III. s. II.* Quod *si somnus, & vigiliæ modum excedant, malum denuncient.* In peste pręservanda ut in his, prout consveveris, quicquam mutes, non magnopere laborandum, assueta enim diu minus molestant, etiamsi mediocritatis limites egrediantur, & arduum, imò impossibile est certum spatium in his definire & horam, cùm varient juxta ætates hominum, temperamentum, & anni tempus, simul & victus ratio dissimilis varium dormiendi & vigilandi requirit spatium, nec ita simpliciter verum, quod dicitur *septem dormisse per horas* convenire ac *sufficere juveniq; seniq;*, nunc contrahendum illud tempus, nunc extendendum est. Secundum *Oddum de odd. lib. III. de Prand. & can. somni tempus mediocre est octo horarum.* In universum tamen statuendum plus vigilare nos debere, dormire minus,

*Plus vigila semper, nec somno deditus esto,*
*Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat,*

nam non ad somnum natura nos genuit, imago mortis somnus est, imò somnus & letum fratres sunt & noctis filii, hinc *Virgil. VI. Æneid. consanguineum leti soporem facit.* Vigilia totum exsiccat corporis habitum, propterea incommodat, quibus corpus gracile est, succedit inde extenuatio, debilitas, cerebri siccatio, denique & consumptio *Gal. VII. Meth. Med. cap. VI.* sed in exsatiatis cibo noxia est, *non permittens cibum liquari & concoqui, Hippocr. de Diæta. Nihil magis*

*gis impedit coctionem humorum, quàm Vigilia continua,* dicit *Senn. in Paralip. Et Vigiliæ faciunt abundare humores malos Mont. Conf. de Morb. Part. CLXXXII. Vigiliæ reddunt humores acres & biliosos Zech. Conf. Med. I. p. X.* Verùm cùm *ex Aristot* ἀδύνατον ſit ἀεὶ ἐνεργεῖν, dulcis & amica quies captanda nobis eſt ſomnoque ex naturæ neceſsitate indulgendum, hic *reparat Vires, feſſaq; membra levat.* Hinc vocatur Senecę in Tragœd Herc. domitor malorum, requies animi parsque humanę melior vitæ. In peſte longior & immodicus ſomnus vitandus, pręſertim meridianus, replet enim cerebrum, cruditates auget, quod clarè liquet *ex Fien. de Flat. c. XII.* dum inquit: *Somni diurni Vapores elevantur ſed non diſcutiunt, coctionem aggrediuntur, ſed non perficiunt, unde cruda generantur phlegmata, flatuum Vera materialisq; cauſa. Somnus meridianus præſertim in non aſſuetis cerebrum valde gravat. Nymm. de Apopl. p. m. CCCVII. meridianus generat, matutinus detinet omnia capitis excrementa. Mont. Conſ. de morb. Part. p. m. XXXV. & LXX. Et dormire noctu oportet, vigilare interdiu dicebat Hipp.* Inſuper ſæpe in ſomno peſtis invadit, id verò cum fit, non poteſt non inadvertenter ligatisque quaſi ſenſibus uſque quaque ire per corpus univerſum, & nullo reſiſtente in intimos œconomiæ receſſus ſerpendo vitæ arcem invadere, cum ultima hominis ruina. Somni moderati nocturni utilitates plurimæ ſunt, *eſt Viſcerum cibus ſive inſtauratio & robur, Virtuti enim adjicit partium nutricatus & Vita, concoquit calido ad interiora recurrente,* hinc quibus ventriculus languet, ſomno indulgendum, Spiritus reſolutos inſtaurat, laſsitudinem membrorum tollit, vires reficit, humectat corpus ejusque partes interiores, hinc illud *Virgilij*

*- - - Feſſos ſopor irrigat artus.*

Debet porrò ſanitatis ſtudioſus magnam habere curam τῶν ἐκκρινομένων καὶ ἐπεχομένων, Excretorum ſcilicet & Retentorum, cum enim indies de corporis noſtri ſubſtantia depereat aliquid & abſumatur, indies etiam cibo & potu, ut in locum deperditi & abſumpti reponatur aliquid, opus eſt, quo homo conſervetur aliàs paucos dies ſuperfuturus. Quo reſpexiſſe videtur *Hippocr. cum lib. de Flatibus medicinam definiverit Appoſitionem & Ablationem.* Cùm verò non omne id, quod eſtur bibitúrve in ſubſtantiam alendi convertatur, ſed alimentorum quędam multum alia paucum alibilis ſucci contineant, reliquum, ut inutile, è corpore eliminandum, ſequitur neceſſariò in id ſedulò incumbendum eſſe, ut id, quod ἑτερογενὲς eſt corporique inutile excernatur debito modo & tempore, quod fit per alvum, urinam, ſudores & etiam ἄδηλον διαπνοήν. In hoc ſi natura non deeſt officio ſuo, bene eſt, & hominis vires vigent, ſin, νοσερὸς eſt homo, & inſtabilis ſanitatis: ita ſi excernitur, quod pręſtat retineri in corpore, pariter ægrotat corpus & auxilium medicum in ſubſidium ſollicitandum.

Peſtis tempore ſummâ ope niti decet, ut nihil in corpore retineatur, quod peſti fomitem cauſſare poſſet, & unde facilè putredo ſubnaſci, quàm enim graviter impura corpora & κακόσπλαγχνα prę reliquis peſte laborent, quàmque gravibus præ aliis putredinis accidentibus infeſtentur, non poteſt ignotum eſſe iis, qui cum peſte infectis converſantur eorumque curam gerunt, prout in Obſ. meis abunde id docetur. *Qui enim pravis ſcatent humoribus, quicq; quicquid cibi aut medicamenti aſſumitur, corrumpunt, evacuandi ſunt, antequam Alexipharmacum exhibeas, inquit Cl. Sennert. de Febr. Vngar. p. m. 551.* Hinc quotidie alvus officii ſui admonenda, quæ ſi ſegnior eſt, medicamentis ad opus ſuum adigenda. Quibus autem & quando iis utendum, paucis indicabo. Notum, quod alvum ducentia ſive purgantia duplicis ſint ordinis, quædam ἐκκοπρωτικὰ, ὑπακτικὰ ἢ ὑπαγωγὰ dicuntur, id eſt, lenientia, quæ ultra primas vias non adſcendunt, nec peculiarem aliquem homorem prolectant, dicuntur & ſtercoraria medicamenta: Quædam propriisſimè ſunt purgantia, quæ univerſum corpus pervadunt, & ἄνω καὶ κάτω nonnuſquam id perturbant, hæc tam in præſervatione quàm curatione ſummo ſtudio vitanda, illorum verò uſus, tutus eſt & neceſſarius, parcior tamen. Eminent inter illa primasque tenent



Aloe,

Aloë, Casſia, manna, myrobalanorum omne genus, pruna dulcia, Rhabarbarum, Tamarindi, imprimis aloëtica laxantia plurimum conferunt: *Aloe enim & ex ea compoſitorum vis ſuper ventriculi & inteſtinorum loca non aſcendit Pernum. lib. V. de Curat. Arte p. m. CCCLIII.* Aloë præterquam, quod è ventriculo vicinisque locis bilem pituitamque craſſam expurget, corroborat impenſè ventriculum, omnesque omnium viſcerum obſtructiones aperit, corpus univerſum à putredine defendit, nec quicquam corpori noxæ infert, ſi acrimoniam legitimâ correctione exuerit, imò baſis & fundamentum omnium pilularum conſtitutum eſt, prout multus eſt in ejus facultate & laude cantanda *Solenand. ſ. III. Conſ. XXIX. Aloe bis aut ter in ſeptimana à ℈j. ad ʒj. integram ante cœnam ſumpta avertit à capite vapores omnes, provocabit urinam & alia excrementa, aperiet obſtructiones venarum, corroborabit ventriculum & vegetabit innatum calorem Mont. Conſ. de morb. Part. Conſ. XXXII. Aloe lota in catapotia præſtantiſſimum ad urinarum virulentiam à C. Cluſio poſitum eſt medicamentum, & planè mirificum dicit M. Aur. Severinus de recond. Abſceſ. natura p. LXXVI. Aloe in quotidianis & aliis longis febribus optimum eſt remedium L. Septal. Animadverſ. lib. V. p. CXIV.* Pilulas ex Hiera Gal. & Aloëphanginas bis in hebdomada in pauca quantitate ſumendas ſvadent mauritani medici. Sunt tamen quibus non ita tutò exhibetur ἡ Ἀλόη: Hinc *quibus Epar calidum eſt in magna copia non danda Senn. in Paralip. p. LXXIII.* incommoda tamen quæ Epati calidiori afferre poteſt, facilè vitantur admiſtione ſucci roſar. qui acrimoniam mitigat, & vim purgandi auget. *Niſi multæ obſtructiones ſint præviæ, in quas Aloe agat, ſi Epar calidius ſicciusq́; fuerit, magnam inde cladem ſequi docet ex Gal. Ballon. lib. I. Epidem. p. m. LIX.* In hęmorrhoidum fluxu cavendum ab Aloës uſu, hinc *Itali dicunt, ex centum hominibus Aleoticis pilulis utentibus nonaginta ferè hæmorroidibus laborare. Hor. Aug. lib. II. de Peſte cap. XIII.* dicit, *hæc nocet epati, pungens ſuâ acrimonia & amarore venas ſubtiles, rodens muſculos ani, venas ejus aperit, inimica eſt ſangvinem ſpuentibus vel vomentibus vel exonerantibus eum ex inteſtinis vel utero, inimiciſſima eſt corporibus calidis, ſiccis, extenuatis, niſi in abundantia multarum humiditatum,* nocet proinde mulieribus gravidis & ſenibus. Epati adverſari *ex Avicenna* etiam docet *M. Martin. de Aff. Hypochondr. p. m. CCIII.* Nos Aloen in morſulis, quos tantopere laudavimus in Obſ. ſemper roſatam aut violatam poſuimus cum conſerva roſar. aut alia convenienti, ut Aloës vis & acrimonia infringeretur diſperſaque magis eſſet, additum quandoque & diacrydium Sulphuratum, ne planè in alvo maneret inefficax, aliàs ſcammoniata in peſte fugienda, præſertim gravidis, voluique in morſulos redigere Aloën, quàm pilularum formâ exhibere ob ſiccitatem & caliditatem nimiam, in æſtate præſertim calidiſſima ſiccisſimaque, ut tunc aëris, quando peſte tantùm non opprimebamur, intemperies erat, quaſi per totam æſtatem arſiſſet Sirius. Ferè eadem aëris conſtitutio erat, qualis fuit tempore peſtis Atticæ, quam Thucydides deſcripſit. Aliàs meritò manet Pilulis Ruffi ſua laus, & potior, quàm aliis operosè & multâ congerie conquiſitis & complanatis ingredientibus compoſitis. Exhibuit eas Ruffus formâ potûs cum vino, de qua potione *Ægineta lib. II. cap. XXXVI. Haut ſcio, an ſit quis, qui ex hoc potu non à peſte immunis ac ſuperior evaſerit.* Ejusdem ferè notæ eſt Elix. propr. Parac. quod Juriſtis communicari vetuit Autor.

Prima cura debet eſſe, ut ſiccemus, corroboremus, à putredineque præſervemus, omne hoc præſtat medicamentum ex Aloë, quod confit, in quacunque forma. In Morſulis meis nihil eſt, quod culpes, quàm amarorem, verùm amarior multò peſtis eſt, hæc ſi conferas, eligas utrum libet. Sufficit verò vel ſemel ſaltem in corporibus calidis ſiccis, vel bis in frigidioribus humidioribusque eos ſumere hebdomatim. Nec ſequendus quorundam mos, qui tantum remediorum ſępe devorabant, *Quantum quadrijugi poſſent agitare juvenci* vel qui ſingulo die, vel alternis laxantia ſumebant remedia, effæminatur inde corpus, coctiones turbantur, viresque dejiciuntur.

tur. Ab aliis medicamentis fortioribus, quę μοχθηρῶς operantur, summo cavendum est opere. Erant qui pilulas suas usuales, uti vocant, vespere tantùm sumebant opinantes somni tempore minus noxę corpori daturas, quàm si manè eos deglutirent, qui mos hodienum apud plurimos quà medicos, quà alios in usu frequenti est, atque ita invaluit, ut contra hiscere aut quid contra ponere, temerarii sit, hominisque frustra curiosi. Non possum tamen non, quid mihi super hac re in mentem venerit, æquo lectori ob oculos ponere, liberum illi linquens, quid velit sequi, modò naturam sequatur, rationem, & experientiam. Et certè ex sacro codice scimus, Deum sapientissimum hujus mundi conditorem diem creâsse in laborem, noctem vero in requiem omni animanti. Quiescit autem corpus nostrum non tantum, quando artus exteriores membraque feriantur ab opere externo, quod lacertorum peragitur beneficio, & quando sensus externi ligati quasi sunt & sopiti, verùm tum maximè, quando calor nativus non tantum ab opere externo feriatur, sed quando sibi relictus & ad interiora revocatus ὑπεκκαύματι tam prose, quàm toto corpore conficiendo unicè est intentus, à qua per certè necessaria & grata opera avocatur per importunè assumptum medicamentum, in quod satis habet, quod agat neglectâ interim & perturbatâ coctione, unde illi corporiq; vires accrescere per labores diurnos fractæ debeant, hinc imbecillior fit durabilisque non est alternâ carens requie. Atque ita peccatur in Creationis Autorem, qui totum hominem noctu quiescere voluit, jussit. Dein & interrumpitur somnus virium refectioni unicè destinatus, ut diei curis negotiisque ac spirituum dissipatione enervatum corpus & languidum cibi beneficio reficiatur pristinumque recuperet habitum; id enim cunctis naturâ ingenitum est animantibus, ut accedente vespere sua repetant antra suosque quęrant recessus, & *capiant dulcis medicamina somni*, quò etiam *Silius Italic.* respexit, quando canit

*– υ agit levibus per sera crepuscula pennis*
*E pastu volucres ad nota cubilia vesper.*

Et *Auson.* *Longa dies operosa viro, sed temperies nox.*

Notandum etiam & hoc, quod medicamentum illud, vespere sumi solitum, est vel mite & imbecillium virium, vel validius, quodque corpus nimium moveat. Si lenius, metus est, ne sine operatione in corpore diutius retentum facultatis naturalis œconomiam susque deq; vertat, planeque inefficax fiat cibo obrutum, ea enim est omnium evacuantium conditio, ut præpostero ordine usurpata effæta sæpius reddant viscera diutiusque retenta mirum, quàm visceribus noceant, utpote quibus tota substantia sunt adversa. Interim dum ita iners est sensibiliterque nil operatur, saltim hoc efficitur, ut turbet fermentationem in ventriculo cibis superadditum, sine qua coctio non absolvitur, flatus excitet, cibum corrumpat, ad putredinem disponat crudumq; ac liquidiorem chylum ab alvo præcipitet. Hic quidem multi censent, medicamentum bene suâ vice functum, cum liquida ab alvo fluunt, cum tamen cruda atque corrupta sint, quod vel ex fætore nares judicant. Et *Avicenna* præcipit *Fen. IV. prim. Docti. V. c. V.* à medicamento mitiori laxante sumpto non esse dormiendum, ita habent ejus verba: *Si medicina ventris solutiva debilis fuerit, ne super eam dormiat, quomodocunq; fuerit.* Itaque hoc incommodi inde sequitur saltem, materiam scilicet in corpore turgentem exagitatam à medicamento ad exitumque paratam retineri, unde natura somno stupida agitatis medicamento humoribus magnum facultatum omnium patitur detrimentum. Movent quidem serotinæ illæ leniores pilulę humores, sed non promovent, ideoque *obstructo hærent affixa canali.* Sin validior medicina solutiva fuerit, multò citius disturbat coctionem secumq; in penitissima corporis loca cruda illa & semicocta rapit, tumultumque excitat & incommoda plura multum corpori noitura.

Defraudatur hinc homogenio suo, & alibili succo ex assumpto cibo corpori accrescendo, unde postero die virium potius defectus, quàm instauratio speranda. Liquet quoque ex priscorum Romanorum diætandi sive cibandi ratione, quod noctem quieti ciboque assumendo & domando viribusq; reparandis destinârint, hinc de die parcius prandebant, cænabant verò largius, unde *Horatius* *Multáq; de magna superessent fercula cæna.*

Et *Martial.* *Dives & ex omni posita est instructa macello.*

*Cæna tibi.*

Quanquam non diffiniam jam, utrum cæna, an prandium largius esse debeat, sive quod idem, noctu, an verò de die coctio melior fortiorq; sit, tractârunt hoc argumentum plures pluribus, hoc saltem, si felicius de die quàm nocte cibi in ventriculo elaboratio procedit, quæro, quî fiat, quod is, qui insomnem noctem agit, aut aliquot saltim horis sive curis sive alio aliquo impedimento somnus interrumpitur, matutino tempore non deponat alvum aut ægrius, prout aliàs natura sueverat, sed vel flatus tantùm emittat, alvusq; vel totum sæpe diem maneat sicca? Secus si tranquillam & non irrequietam noctem habuerit. Insuper ex *Hipp.* clarest. *l. II. Aph. XXIX. & Aph. X. l. IV.* quod per morbi initia constantibus scil. adhuc viribus auxilia administranda sint. Morbi initium rectè in adhuc valentibus matutino tempori posse comparari facilè mihi patior persuaderi, tunc enim homo resumptis ex ritè elaborato cibo per somnum viribus fortior alacriorq; est, quàm sub hesperi ortum, ubi diei curis & laboribus dissolutum & enervatum corpus totum sæpe languet: Quis ergo tum afflictis viribus spiritibusq; diurno motu exhaustis novam afflictionem addere medicamentisq; agitare, quod quiescere unicè amat, ex usu esse censebit? omninò rectè *Horat.*

*Temporibus medicina valet data tempore prosunt,*
*Et data non apto tempore vina nocent.*

Et si vera sunt, ut sunt verissima, quę idem habet *in satyris:*

- - *v nam variæ res*
*Ut noceant homini credas,*
- - *si simul assis*
- *Miscueris elixa, simul conchylia turdis,*
*Dulcia se in bilem vertent stomachoq; tumultum*
*Lenta feret pituita.*

Si hæc, inquam vera sunt, de diversarum naturarum alimentis uno pastu ingestis, quid dicemus, de pilulis istis serotinis cibo toto genere repugnantibus? Confirmat hanc opinionem *P. Æginetal. VII. de re medica c. IV.* *Qui Aloen,* inquit, *vesperi exhibent, nocent, corrumpit enim alimentum.* Et hinc forsitan est, quod *Cardanus lib. I. de san. tuend. c. XLI. dixit, Aloen ventriculo infensissimam esse, obq; usum ejus importunum Mesuem Arabem medicum millenosq; alios ejus vestigia calcantes immaturè obiisse,* aliàs hoc Cardano non concedendum, & ob abusum aut alios forte errores usus alicujus rei non tollendus. Verissimum quoque & hoc est, pilulas scil. vespertinas motum habere motui alimentorum assumptorum è diametro contrarium: nam naturâ exteriore officina deserta internum tantum meditatur opus, in profundiores usque serpens medullas, Chylusque ex cibo progenitus ad sangvinis officinam Cor scil. properat ultimum tandem complementum perfectionis suæ ibi accepturus; Contra verò pilulæ istæ serotinę ad interiores intestinorum recessus ipsum amandant, &, ne ad cor eat, faciunt. Quilibet dein & in se ipso facilè animadvertit, quàm noxium corpori sit, si vel per publica negotia, vel alias rationes onu-

stum

ſtam alvum contra naturam remorari neceſſum ſit: quid putes autem, Lector, quando alto ſomno ſopitum corpus quaſiq; ἀναίσθητον non ſentit medicamenti aculeos egredi ſtimulantis, nonne retentum id diutius vicinis viſceribus bellum indicit vimque infert? Propterea ex *Ariſt. VIII. Phyſicor. Summa mentis imbecillitas eſt, quærere rationem, & ſenſum, fortiſſimum rerum indicem, neglectui habere.* Utque huic παρεκβάσει tandem finis ſit, adducam ſaltim in teſtimonium *Avicennam & Hipp. ille Fen. IV. prim. Doctr. V. cap. V.* prout, ſuperius notatum; Hic dicit *lib. IV. Aph. XV. quotiescunq; majorem ciendi vacuandiq; vim à veratro requiris, corpus move: ſin inhibendum ſit & ſiſtendum,* ſomnum inito neque moveto. Si veratri, cujus vis purgandi vehemens admodum eſt, ſomno ſiſtitur, atque coercetur, quidni & Pilularum ἐκκοπρωτικῶν aliorumque lenientium? Non omninò tamen ſerotinorum medicamentorum lenientium, ut & digeſtivorum, ut vocant, uſus improbandus, præſertim cum vel horâ una ante cœnam, vel quinq; aut ſex à cœna horis primoq; ſomno abſoluto exhibentur, tum præſertim, quando altero vel poſtridie purgare corpus voles, εὔροα enim corpora primum facere oportet ex *Hipp.* decreto, quàm purges, & tum multum commodi digeſtiva corpori præſtant, quod hîc ad digitum recenſere loci non urget commoditas. Unicum ſaltem addo: Si in Eccoproticis ejuſmodi medicinis tam cautè procedendum, annon cautius multò veſpertino tempore fortiorum ut pilul. cephalicar. aliorumque ſpecificè purgantium uſus ineundus? ſecus licèt ſit in actu laborantibus ubi nonnunquam ἐξ ἀνάγκης ob majus urgens recta medendi methodus invertitur.

De auxiliis præſervantibus lenitivis plus ſatis, erit in ſequentibus calamus ſtrictior. Ad Excreta pertinet & ſudor. In peſtis præſervatione ne ſimus nimii in ſudore profundendo, cavendum ſedulò eſt, ſicuti plurimi in peſte noſtra magno ſuo malo ſunt experti, qui hanc regulam non obſervârunt, immoderatus enim labefactat corpus univerſum impenſè. Eſt præterea & in ſudoribus ciendis hominis natura & conſtitutio conſideranda. *Quibuscunq; Epar aut lien calidus & humidus eſt, ſive ſalubriter degant, ſive ægrotent, iis quavis ex cauſa ſudores facilè erumpunt. Contra quibus Epar aut lien emarcuit, aut ſcirrho obduruit, aut vehementer eſt obſtructus, ut ſit in hydrope, ictèritia, καχεξία, iis ſudor difficilè aut arte elici, aut naturâ propelli poteſt. Ioel Tom. I. Pract. pag. CCXXVI. Cum fixa in humoribus, præſertim craſſioribus morbi cauſſa eſt, ſudores ita ſolvendo non ſunt. Ballon. definit. med. p. LII. Obeſi non temerè ſudoriferis macerandi, pinguedo enim nimia eorum obſtat, quo minus per eam ſudoris materia ad ambitum corporis propelli queat. Contra graciles, frigidi, cutem mollem laxamq; habentes humoreq; aquoſo & tenuibus ſuccis abundantes ad ſudorem maximè ſunt habiles Vid. Vidius l. XI. de Curat. gener.* Spleneticis, ſcorbuticis apprimè conducunt ſudorifera medicamenta, imò, inquit *Sennert.* & experientia hoc ipſum comprobat, *plus ſæpe ſudationibus in iſtis efficitur, quàm vel purgantibus vel aliis medicinis.* Tempore peſtis præſervandi gratiâ qui multum ſudârunt, hoc effecerunt, ut corpora ſua laxiora reddiderint effæminarintque, calidis ſudorificis temperiem immutaverint & deſtruxerint, pororum cutis apertione veneno externo feneſtras aperuerint vireſque multum fregerint, quibus tamen ſervandis augendiſque potiùs multum ſtudebimus, errati exempla Obſerv. ſuppeditabunt.

Venæſectionem quidam pro præſervatione planè rejiciunt, alii in profundendo ſangvine nimis ſunt profuſi, nec modum nec menſuram obſervantes. Peccatur utrobique. In ſanguineis, plethoricis, ſanguiniſque per ſectam venam effuſioni aſſuetis nihil omninò obeſt ſanguinis demptio, imò prodeſt multum, hâc enim omiſſa, vah, quàm gravia ſymptomata in peſte correptis, accedente poſtea fermento peſtilenti, apparent, facies præ rubore inſufflatur, rubent oculi, cordis coanguſtatio magna, hæmorrhagiæ ἄνωθεν καὶ κάτωθεν, σύντηξις, deliria ſurſum rapto ſanguine, alia. Nec tamen plus ſpei ponas in phlebotomia, quàm ex arte & docto στοχασμῷ liceat

ceat consequi, circumspectè hîc quoque & prudenter consideratis viribus & hominum naturis, nec facilè fluctuante animo in syrtes appuleris. Nec Fonticulos excitare, aut excitatos apertos servare, inutile est, per eos enim natura humores superfluos & excrementitios amandat ad partes ignobiliores. Planè ut in *civitate seditionem moturi ex ea quantocyus removendi, eosq; spargi per provincias, & externo bello illigari, pars consilij pacisq; sit consulente Tac. III. Histor.* Pariter humores, qui vel à purgante aut sudorifero remanent indomiti per inusta ulcuscula aliò vocandi, retrahendi, intercipiendi, si quò non oportet, vergant, ut hoc modo mali scaturigo exhauriatur. Hinc nemo non medicorum eos ad præservandam pestem plurimum commendat. *M. Aur. Severinus Neopolitanus l. de Efficaci medicina c. IV. p. CCLI. In peste Veneta, anno M D LXXV. dicit cauteriorum usum fuisse celebratissimum. Et Kircherus de Peste sect. III. c. IV. p. XIV. hæc habet: Cauteria prapotens esse ad vitandam pestem remedium omnes ferè fatentur Gal. sectatores, ita quidem, ut quæ Mercurialis de Peste Veneta, id Ego de Romana, quantum ex medicorum fide dignorum relatione mihi innotuit, asseverare queam, nullum hujusmodi signatum naturæ spiraculis peste invasum fuisse, nisi forsan nonnullos dissolutioris vitæ & Epicuri de grege porcos.* Et in MS. meis *à Cl. D. Iacobo Fabritio Archiatro Regio Dano, Praceptore quondam meo venerando νῦν ἐν ἁγίοις* reperio: *Neutiquam silentio tegendus fonticulorum in peste usus, utpote, quibus omnium optimè corpus ab ichorosis & putridis humiditatibus facillimè pestiferæ infectioni fomitem substernentibus, expurgari queat. Nemo tamen* dicit *Sennertus l. IV. de Febribus c. V. p. CCCCXXX. velim in iis solis aut præcipuè, neglectis Alexipharmacis, spem securitatis collocet. Tanta enim vis & efficacia est hujus veneni, ut pura quoq; & munda corpora invadere possit.* Nec cuivis, non habito respectu ad corpus, ponendæ fontanellæ: *Si corpus,* inquit *Horat. Angen. de Peste l. III. c. XXV. habeat parum carnis, siccum sit, sine excrementis, non autor essem, ut cauteria administrarentur.*

Νεογάμοις καὶ φιλολάγνοις infestissima est pestis, ideoque pestilenti constitutione prudenter admodum à prudenti Magistratu nuptiales festivitates imò & ipsæ copulationes prohibentur, ne serpenti malo fores amplientur.

Imò ipsa συνουσία matrimonialis ob hoc debet esse rara admodum & pauca, immoderata enim Venus, si quid aliud, cerebrum & ventriculū debilitat, quorum tamen robur firmare omni ingenio anniti decet. Multū etiam calidi innati perit homini præpoperà & nimià venere utenti, unde *Arist. de Long. & brev. vitæ c. V.* ὀχευτικὰ καὶ πολύσπερμα *brevi senescere* scribit. Et *Avicenna lib. III. Fen. X. Tr. I. c. II. Coitus evacuat de substantia spiritus rem plurimam propter delectationem, & propter illud, qui plus delectantur, plus sunt cadentes in debilitatem.* Imò ex *Venere nimia quandoq; inflammari jecur tradit Ioel lib. V. Pr. p. II.* In affectibus cerebri omninò ab ea abstinendum, quia *ab omnibus antiquis proditum est dicit Mont. Cons. de M. Part. p. m.* XXXV. *præcipuè ab Hippocrate, Venerem nihil aliud esse quàm brevem Epilepsiam.* Et cum valde siccet & frigefaciat, liquet adolescentibus & juvenibus eam minus convenire, ut qui ad corporum suorum incrementum calido & humido egent. Cumq; Bacchus pariter & Venus Adolescentum juvenumque pernicies sit pestilentissima, frequentissima, illis ipsis summè vitanda, ideoque nobilis juventus

*Compedibus venerem, vinctis constringe Lyæum,*
*Ne te muneribus lædat uterq; suis.*

Venerem apud Germanos antiquos valde fuisse seram ex *Tac. & Cæsare de bello Gall.* est videre: *qui impuberes diutissimè manserunt, maximam inter suos laudem ferunt; Intra annum v. XX. fœminæ notitiam habuisse in turpissimis habent rebus,* prout hoc citat ὁ πάνυ *Conringius in de corpor. Germanicorum habitûs antiqui ac novi causis Differt. p.* XXX. Et aureus planè,

planè eſt ſermo, quem ibidem ex Ariſtot. allegat, quique maximè meretur huc poni. ἔϛι δ᾽ ὁ τῶν νέων συνδυασμὸς φαῦλος πρὸς τεκνοποιΐαν (loquitur ibi de optima Republ. conſtituenda, in qua adoleſcentum connubia liberorum imbecillitate damnavit) ἐν γὰρ πᾶσι ζώοις ἀτελῆ τε τῶν νέων ἔγγονα καὶ θηλυτόκα μᾶλλον καὶ μικρὰ τὴν μορφήν. ὥς ἀναγκαῖον ταυτὸ τοῦτο συμβαίνειν καὶ ἐπι τῶν ἀνθρώπων. Τεκμήριον δ᾽, ἐν ὅσαις γὰρ τῶν πόλεων ἐπιχωριάζεται τὸ νέους συζευγνύναι καὶ νέας, ἀτελεῖς καὶ μικροὶ τὰ σώματά εἰσιν: Eſt autem Adoleſcentulorum conjunctio ad liberorum procreationem inepta. Nam in omnibus animantibus adoleſcentium fætus imperfecti ſunt, & fæminæ eduntur potius, quàm mares, & brevi corporis figura : quare neſceſſariò hoc idem etiam in hominibus evenit. Cui rei hoc argumento eſt, quod in quibuscunque civitatibus hoc in more poſitum eſt, ut adoleſcentes cum puellis adoleſcentulis matrimonio jungantur, imperfectis & brevibus corporibus præditi ſint.

In Amuletis nemo certæ quicquam ſpei ſibi imaginetur, ſive ſit ſuperſtitioſum illud Paracelſi Zenexeton, ſive ex Arſenico aut Mercurio conflatum : experientiâ enim conſtat, hæc ſupra cordis regionem, donec incaluerint, geſtata, multum damni corpori dediſſe: Contra neſcitur quosdam horum appenſione liberos à peſte manſiſſe. Eadem ferè ſentire licet de fætidis malèque olentibus vaporibus mephyti ſua nares noſtras ferientibus, aliisq; odoribus naturæ noſtræ minus gratis, *ut enim gaudet, inquit Severin. de recond. Abſceſſ. natura, ſpiritualis vitalisq; præcordiorum natura puro limpidoq; aëris attractu, ſic tetro & coinquinato triſtatur.* Et *Athenæus lib. XV. Deipnoſ. c. XIV. maximam ſanitatis partem, dicit, odores cerebro utiles & ſalutares eſſe*, *fœtoremque omnem, ut cerebro nocere mentemq; perturbare, ita cordis Spiritus lædere, animumq; proſternere* ſtatuit *Cl. Sebiz. & Proverb. Salamon, cap. XXVII.* legimus, *cor unguentis bonisq; odoribus delectari.* Nec abludit ab horum ſententia *Galen.* dum *VIII. de compoſ. medicamentor.* Κατὰ τόπους inquit: *Quemadmodum odorata corroborare, ita ſubvertere ventriculum ſolent graveolentia.* Et ſanè per quod peſtis propagatur, per idem ea non pellitur, at per fætida, ſordida putredinemq; teſtantia propagatur, Ergò non pellitur, ergò ſupervacuus eorum uſus, imò noxius, utut quibusdam abominabili ſuo fætore talia mirè placeant.

Præſervandi ratio longiꝰ excurrit quàm decuit fortè, nec tamen ſingulatim omnia recenſui, factū id ab aliis innumeris, à quibꝰ id, quod deeſt hiſce, petere abunde licet. Nunc βραχέως καὶ αὐτοσχεδίως de Curatione. Imprimis verò hoc tenendum, cùm verum indicans nullum habeamus, quod vel purgationem, vel vomitum, vel phlebotomiam propriè & primò indicet, ab hiſce curationem non eſſe auſpicandam, debet tamen univerſale eſſe remedium, quod hoſti univerſo corpori inſidianti opponatur, quod non aliud à tam multis ſeculis, teſte experientiâ, eſſe comperimus, quàm ſudoriferum. In hujus autem uſurpatione non cunctandum, ne ἐξ ὀλίγου τὰ πολλὰ oriantur, quæ in bellis & motibus civilibus, quæ cito conſilio carent, conſequi dicit Thucydides, ſed quantocyùs in uſum trahendum vel etiam *Celſi monitu l. III. c. VII. Quò celerius ejuſmodi tempeſtates corripiunt, eò maturius auxilia, etiam cum quadam temeritate, rapienda ſunt, & malum naſcens facilè opprimitur, inveteratum fit robuſtius,* dicebat *Cic. l. V. Philipp. nemoq; celerius opprimitur, quàm qui nihil timet, Vellei conſilio lib.* XI. Χρονίζειν verò in affectibus periculoſis, κακὸν eſſe dicit *Hippocr. ſ. IV. Alph.* X. Et in Epiſtola ad Cratevam ſcripta ſequentia apprimè huc facientia leguntur verba : Τέχνης μὲν γὰρ πάσης ἀλλότριον ἀναβολὴ: ἰητρικῆς δὲ καὶ πάνυ, ἐν ᾗ ψυχῆς κίνδυνος ἡ ὑπέρθεσις. Ab omni quidem arte aliena res eſt dilatio, ſed maximè à medicina, in qua eſt dilatio animæ periculum. Et alibi *Hippocr. Occaſionem curationis animam vocat.* Aliàs dum Roma conſulitur, Saguntum expugnatur. Nec ſemel ſaltem, ſed pro re nata quater, quinquies, prout morbus & ægri conditio id poſtulabit. Si remittunt pulſus & ſymptomata graviora, abſtine à ſudore urgendo amplius, totusque in id incumbe, ut veris & legitimis Alexipharmacis vitę



arcem

arcem ab hoste defendas, refrigerantibus internecinum calorem oppugnes viresque refocilles. Si alvus durior, potest initio morbi Clyster, cui nonnihil Alexipharmacorum inditum sit, applicari, vel suppositorium, præsertim in iis, qui corporis sentinam præservantibus lenitivis haut eluerunt, & ubi certæ magnæque putredinis notæ animadvertuntur. Symptomatibus potes mederi modo, qui præscribitur à plurimis, habito semper respectu ad id, quod magis urget, an morbus, causa, vel symptoma velit prius sui curationem. Elapsis quinque vel sex diebus benigno aliquo medicamine, ut passulis & prumis laxativis, Cassia, Tamarind. Manna, syrupis lenientibus corruptos humores è corpore tutò potes tollere ter quatérve alvum movendo, ne iterum coeant isti bellumque instaurent: Observatum enim plurimos peste superatâ obiisse postea, quod non deturbârint è corpore humores vitiosos à veneno relictos, atque ita corruptos, ut corrigi amplius, aut in naturæ commodum cedere non potuerint. In pueris præservandis & curandis semper respiciendum ad vermes est, mirum tamen, quod fœtus plurimi immaturi prodierint, lumbrici verò nulli, quantum mihi notatum, etiamsi pleraque alexipharmaca istis adversa esse comperias, soleantque iidem aliàs in mitioribus febribus exire sæpè. In phlebotomando hoc observa, si putredo magna, ita ut periculum à putredine (pestilens enim putrida longè gravior urgentiorque est) ferè æquet magnitudinem pestilentis malignitatis, æstus multus sit, plethora, sive ad vires sive ad vasa, & præpoperè citaris, consuetaque aliqua sanguinis vacuatio suppressa sit, tutò partem sangvinis demere potes, ut natura parte oneris levata hosti alacrior fortiorque obvenire possit, si desunt enarrata signa & requisita, fuge *τὸν φλεβοτόμον*. Ita in quibusdam secui venam, in quibusdam non, & ut verum fatear, tam sæpe (imò sæpius) fefellit votum incisa vena, quàm sæpè auxilii quicquam attulerit. Cautè itaque & prudenter te hîc geras oportet. In sudorificis non possum, non summè laudare & pro primis habere Bolum armen. Terr. sigillat. silesiacam strigensem, quàm bene fecerint hæc duo, quamque profuerint multis, præsertim si tantillum camphoræ addas, pariter præservando quàm curando, superstitum plurimi mecum testari possunt. Præferrem Ego ejusmodi mixta cum Aceto calend. Fl. Tunic. Vini, Bezoart. aut aquis bezoardicis novis istis Tincturis, Elixiriis, mixturis, quæ aliàs gloriosè satis ac magniloquo encomio pluribus commendantur, cùm adhuc vis istorum in peste nondum sit probata aut comperta. Vim Theriacalem Bolo armen. attribuit admirabilem Crato Cons. XV. p. LI. vide sis & Epistolam ejusdem CXXX. Chymica remedia, quæ hîc multi crepant, ut non sunt omninò rejicienda, (stultus sit, qui hoc tentet) ita non temerè & indiscriminatim abs quovis recipienda, nisi constet, quis eorum sit Autor, aut noveris eorum materiam, si *χειροτεχνίας* & *πυροτεχνίας* particeps fieri non datur. Certè Secreta, quæ hîc plurimi vaninloquidori & Nugipolyloquides, aut, ut Cl. Greg. Horst. in Observ. suis eos vocat, Argenti Exterebronides & fastuosi Midæ, ostentant, ridenda sæpius sunt, quàm admiranda, præterquam enim quod medicamenta occultare & & arcana ea habere inhumana sit invidia, & *nec divinis, nec civilibus, nec gentium legibus concessa*, ut loquitur, *Tentzelius in præfatione suæ ἐξηγήσεως chymiatricæ.* Et *remedia, naturæ munera, non ostendere, & in arcanis habere non decet, perfidiæ atq; invidentiæ crimine manifesto Alex. Bened. Aph. l. I. c. I.* Præclarè sanè, *Scribon. Larg. Invidentia crimen cum omnibus animantibus invisum esse debet, tum præcipuè medicis: in quibus nisi plenus misericordiæ & humanitatis animus est, secundum ipsius professionis voluntatem omnibus DIS invisi esse debent.* Et ἀλλότριον, inquit, *Suidas,* φιλοσόφων τὸ βασκάνειν καὶ φθονεῖν, οἷς (προσήκει) τὸ κοινωνεῖν περὶ πάντων ἀφθόνως: *Alienum à philosophis celare disciplinas & invidere, quos omnia liberaliter communicare decet.* Etiam cum ad libellam sive stateram ponderantur, nullius ferè ponderis sunt, *quorumq; Autorum, si scrinia excutiendi facultas se sistat fortè, aut occasio,* inquit, *Cl. Meibom. in jur. jurand. Hipp. commentario, mera saltem deprehendas aliorum inventa, ac remedia in vulgus etiam nota, quæ si tollas,*

*Aut*

*Aut si fortè suas repetitum venerit olim*
*Grex avium plumas*
*nihil invenias reliqui, præter jejunam maciem,*
*Aut apinas tricasq́ꝫ, & si quid vilius istis*
*quibus eruditiorum choro*
— *Deplumis moveat cornicula risum.*

Ut non incongruè applicari istis possint verba *Cunæi l. 7. de Repul. Hebræor. c. XXIV. Tenet plerosq́ꝫ amabilis insania, & favet sibi atq́ꝫ plaudit imprudens temeritas. Aniles ineptias tradimus invicem accipimusq́ꝫ, non incauti hercle, sed scientes & inter seria.* Ratio autem quare tantopere laudem terras istas pingues, nec non & alia unctuosa sive sulphurea, imò & nitrum à sulphure fixum redditum, procul dubio non est alia, quàm quod pingvia ista sedent sistantque ζέσιν istam à veneno in humoribus & sanguine excitatam, quem istorum operandi modum acutè acutissimus *Fracastorius de Sympathia & Antipath. cap. ultimo* docet inquiens: *Duo præcipue concurrunt, quum fervor exundans fit, alterum est excessus caloris & vaporum copia brevi facta, alterum est obsistentia ferventis rei, si corpulentior sit, multum enim extenditur, & in magnas ampullas prius, quàm scindatur, propter quod & dupliciter etiam compescitur exundantia illa, uno modo, si calorem & vapores frangas, qui extenduntur, quod fit injectis frigidis, ut aqua: Alio modo, si ipsum obsistens ita præpares, ut extendi in magnas ampullas non possit, quod faciunt unctuosa injecta, dividuntur enim ipsa ad minimas & non ultra divisibiles partes, quæ intermistæ partibus corpulenti humidi prohibent extensionem amplam fieri: extensio enim rarefactio quædam est, rarefieri autem non possunt minima unctuosi, tum quod minima sunt, tum quod tenacis mistionis: quare cum undiq́ꝫ interposita intermistaq́ꝫ sint obsistenti, faciunt, ut nec ipsum obsistens recipere extensionem possit, nisi parvam, & per parvas ampullas factam: quare exundantia compescitur, & fervor fit, per ampullas crebras & parvas:* Hucusq; Fracastorius. Cùm verò tenacis mistionis sint istiusmodi pingves terræ, lentore suo citatiorem humorum sanguinisque (ut obsistentium) motum inhibent, *spiritus uniunt, & disgregationem prohibent,* ut loquitur *Bayrus,* veneníque ita vim frangunt. Et esse in illis terris singularem facultatem cogendi in unum locum malignitatem impressam humoribus naturamque ad expulsionem adjuvare testatur etiam *Epist CXXX. Scholtzij.* Mixtio autem istorum cum acidis optima est, hæc enim incidunt humores, rarefaciunt ad sudoremque juxta cum illis disponunt, & acida ex se alexipharmacam vim habent, ut de *Aceto* testatur *Cl. Barth. Hist. anat. Cent. IV. Obs. XIII.* Præstat tamen & Camphoram admiscere interdum in iis, qui non valde nauseant, nec caput infirmum habent. Hinc cum fructu exhibentur Spir. Theriac. camphorat. Mixt. s. And. Elix. Pestil. Croll. item salia plantarum, & alia quæ ex his artis beneficio componuntur. In profundendo sudore modus sit, quidam nimium sudarunt & in præservatione & curatione, sed id noxium ipsis fuit: à sudore Alexipharmacum confortans exhibendum viresque aliqua ex parte dissolutæ contrahendæ iterum & refocillandæ. In protrahendis altè adhuc delitescentibus Bubonibus rarò bene cessit appositio magnæ cucurbitulæ, præsertim in partibus ligamentosis ut sunt in inguinib. & sub axillis, sæpius profuit Empl. Diachyl. simpl. & compositum cum portione Empl. Basil. aut de Meliloto mixtum cum Ol. Scorpion. aut Elix. pest. Croll. malaxatum, quibusdam vesicatorium super ipsum bubonem certam medelam attulit.

Carbanculorum cura, qui non per modum ἀθροισμοῦ ἢ συγκρίσεως, ἢ ῥευματισμοῦ, sed per modum κεῖσεως erumpunt, non multum variat à reliquorum furunculorum curatione, qui vel τέρμινθοι vel Δοθιῆνες dicuntur Græcis, hoc saltem observato, ut semper admisceas ungventis

& Empl. quæ peculiariter pesti adversantur, dolores demulceas, circumque carbunculum defensivum Empl. ponas, fortia & acria attrahentia vites. Nec multum opis colloces in loci affecti scarificatione, mitius secum agi pestulant omninò carbunculi, quàm ut ingemines dolores, sæpe ex se sanescunt, si superficiales sunt, nonnunquam altè exedunt carnem, quam citò facias abscedere à sana carnis portiuncula, expleasque ulceris cavum, ut artis est. In Gangrænis pestilentialibus omnis vertenda cura ad expellendum est, fortiterque, quando per vires licet, sudor movendus, cùm enim & aliàs extra pestilentem affectionem in omni Gangræna quasi venenatus humor sit, ne is ad superiora sive interiora repat summo laborandum est opere & ingenio.

Sat prata biberunt: Retrahendus tandem calamus est, qui limites propositos, fateor, multum transgressus est, nec tamen omnia, quæ dicenda forent, accurratè notavit, tam enim varias induit formas Pestis, nunc pacem nunc bellum præ se ferens, itaque exercuit medicos defatigavitque, ut quò se verterent sæpe nescirent, adeo ut vel Apolline vel Æsculapio fuisset opus, ex quibus medici discere potuissent *properantem sistere mortem.* Et mehercules digna res Pestis est aut affectus, in quo vires suas exerceat cujusque indoles, eruditique ad illum cognoscendum ingenium suum advocare debent quàm maximè, ut tandem aliquando tam diræ luis *penitus caussas tentare latentes* queamus. Quibusdam interna obsidebantur exanthematibus, hinc planctus, & clamor lethalis: Huic signum θανατῶδες nullum, alii certus intentabatur interitus, hic præter spem convalescebat, ille nemine advertente ibat ad plures: Sic *quem dies vidit veniens superbum, hunc dies vidit fugiens jacentem ex Sen. Tragic. & noctem fieri optabant plurimi tædio lucis, idem de Tranquill. anim. c. 1.* Hinc *sanabantur ægritudines interdum*, ut dicebat *Averrh. lib. VII. colliget cap.* XXXI. *quibus nec medicus, nec natura videbantur sufficere ad curam,* eodem ferè modo, quo aliquando in rebus naturalibus fiunt monstra, sæpeque dissolvit natura nodum arti medicæ indissolubilem.

Tu, Lector Favorabilis & Candide, hisce vale ἐπὶ μήκιστον, & si quem ex istis αὐτοσχεδίως positis perceperis fructum, plausuque secundo exceperis (uti spero nullum quicquam jacturæ legendis hisce facturum, nisi fortè aut indoctior sit, quàm ut intelligat, aut doctior, quàm ut egeat, aut negligentior, quàm ut curet, aut morosior, quàm ut perferat, quibus hominum generibus hæc non elaborantur, Vives in Comm. ad Aug. de C. D. p. 439.) pro fænore magno id mihi reputavero, & calcaris instar ad alias non minus raras Observationes edendas habebo benevolum animum tuum: sin, laudaveris saltem studium meum, quod etiam in periculosissima & molestissima pestilenti praxi Tibi gratificari lubens voluit. Magna eloquentia esse debet, quæ invitis placeat, & est aliqua laus, magnis excidisse ausubus *in& arduis voluisse sat est.* E Musæo meo, quod est Brunsvigæ, Anno Æræ salutis M DC LXIII.

OBSER-



# OBSERVATIONES MEDICÆ
## *DE*
# PESTE BRUN-SVICENSI
## ANNI M. DC. LVII.

### OBSERV. I.

SCripturus de Peſte Obſervationes quasdam operæ me facturum pretium ſpero, ſi paulò magis ex alto ſermonis initia arceſſero, &, ne quid prætcriiſſe videar, ab ipſis incunabulis, & dum in infantia ea eſt, eam deſcripſero, quod fiet quinque prioribus Obſervationibus, & hoc Lectori, qui peſtem nunquam vidit, multo minus curavit, ex uſu plurimùm fore certus ſum, ſatius quippe eſt peſtilentem ejuscemodi frugem in ſemine ſupprimere, quàm adultam demetere menſem, & quando undiquaque contagione ardent omnia, incendioque peſtilenti comburuntur obvia quæque, facilè à quovis hoſpes jam admiſſus poteſt noſci. V. Febr. vocor ad ægram mulierem, cujus ſymptomata erant ſequentia. Cordis anxietas, calor multus continuus, vigiliæ, alvus pigrior. Explorato pulſu facilè conjicere erat continua ipſam laborare, ſed ex qua cauſſa proxima, non ita conſtabat. Statim præſcribo pulverem aperientem veſperi ſumendum ex ʒß Crem. Tart. & gr. V. Tart. Vitriol. Manè Bolum laxantem ℞ Flor. Caſſ. nov. tract. ʒiij. Elect. diacathol. ʒij. pulv. rhabarb. opt. ℈j. pulv. laxativ. veget. gr. V. Eſſent. Cort. Citr. ſicc. gr. VI. nitri præparati gran. iij. cum ſacch. alb. q. ſ. F. Bolus, moderatè operatus eſt hic bolus, & talia, qualia oportebat, eduxit. Verùm tantùm abfuit; ut ceſſaverit Cordis anguſtia, ut etiam aucta viſa ſit cum incremento ſitis, quibus occurſum fuit Julapio ex Aq. è ſ. Acetoſ. Borrag. ana ℔ß. Tinctur. roſar. ℥ij. Conf. Alkerm. ʒj. Syr. Acetoſ. Citr. rub. id. ana ʒß. Spir. Vitriol. parum. Sed indies magis magisque pro- V. Febr.

dente sese malignitate VII. Febr. sudoriferum hoc præscripsi ℞. Semin. Napi ʒjß. Citr. ℈j. Aq. è s. Cardbened. ℥ij. F. Emulsio dulcoranda sacch. perlato. VIII. Electuarii usus proficuus fore visus fuit ejusmodi ℞. Conserv. ros. provinc. Acetosell. ana ℥j Condit. rad. Cichor. Enulæ ana ʒij. Confect. Alkerm. Terr. sigillat. C. C. ust. præparati ana ʒß. Rob. rib. ℥ß. Spir. Vitriol. par. Syr. è s. Berber. q. s. F. Elect. Item Epithema, ℞ Specier. pro Epithem. Cord. ʒj. Aq. Flor. Borrag. Meliss. rosar. ana ℥j. M. Acetum nolui huic addere propter vigilias. IX. Febr. ℞. Pulv. Bez. Sennert. ℈ij. Gossii gr. V. cum aq. Scorzoner. sumendus. X. ℞. Aq. è s. scabios. Fl. Borrag. Fragor. ana ℥iij. diascord. Fracastor. ʒij. Julep. Violat. ℥j. Conf. Alkerm. ʒj. Spir. Vitriol. q. s. ad grat. acidit. Cùm malignitas nondum planè superata videretur sitisque adhuc urgeret, seq. ordinatum XII. h. ℞. Radic. Scorzoner. ℥ß. Pom. Citri in taleol. concis. numer. j. sacchar. alb. ℥ij. Coq. in Aq. commun. ad mediet. Colat. ℔jß. add. rob. rib. ℥jß. Essent. Cort. Citr. sicc. ʒj. M. Hæc potio suas meruit laudes, ideoque iterata ejus præparatio est. XV. Jam in lecto sedere erecta cæperat, & tum persistendum in confortantibus alterantibusque fuit. ℞. Conserv. ros. rubr. Vitriol. ℥j. Acetosell. Fl. Borragin. ana ℥ß. condit. Cort. Citr. rad. Cichor. ana ʒij. Spec. diambr. ʒß. Syr. Acetos. Citr. q. s. F. Elect. Ut tandem reliquias humorum corruptorum è corpore eliminaremus, sequenti usa est: ℞. Aq. è s. Acetos. ℥j. Elect. lenit. DD ʒij. Crem. Tart. ℈j. pulv. lax. veget. gr. V. Aqu. Fl. Citr. ʒj. M. F. Haustulus. Advertant hîc medici juniores, in morborum declinatione nunquam fortiter esse purgandum, ne vel diarrhæam vel alium fluxum nequiorem concites. Et ita finis salutaris huic curationi est impositus. Sciendum autem mulierem hanc hæreditati ex morte agnatorum ad se devolutæ dividundæ multùm interfuisse, eâ postmodum in ædes suas deportatâ non multò post ægrotâsse, Agnati ad unum omnes in illa domo, nescio, quo morbi genere, erant extincti, nec enim à quoquam medicorum curabantur, & in domum hanc, uti loquebatur fama, illata erant utensilia quædam ex urbe Bremensi, quæ tum peste premebatur. Hinc sparsim clanculumque irrepsit in totam urbem nostram nemine advertente pestilens virus, quo postea tot millia miserè perierunt.

## Observ. II.

*VIII. Mart.*

Matre pristino sanitatis vigori reddita VIII. Filiam ejus XV. annorum incessit calor multus præternaturalis cum magna diarrhæa & virium dejectione. Vocor, saltem, ut sitim restinguam, petit, utitur decocto Hord. cum C. C. fact. ℔ß. Syr. de ros. sicc. ℥iij.

Spec.

Spec. cord. temperat. Conf. Alkerm. ad ℈j ß. Spir. Vitrioli modicum. IV. Mart. nocte vigesies dejecit, de seq. Elect. sumit, ℞. Conf. ros. rubr. Vitriol. Acetos. ana ℥j. Bol. armen. aq. rosar. præparat. ℥j. spec. diarrh. Abbat. pulv. sem. plantag. ad ℈j. Theriac. recent. ℈ij. Cum Syr. Acetos. Citr. F. Elect. X. Mart. adhuc alvus multùm fluebat, nec enim constringere eam initiò conducit, *qualiscunque enim in morbis malignis excretio sit, tamen non semper damnanda est*, inquit *Ballon. l. I. Epid. & Ephem. p. XLIX.* universum corpus rubris puncticulis ad modum petechiarum deturpabatur, pulsus celer & magnus magnam humorum ebullitionem sanguinisque effervescentiam arguebat. Hæc certissima erant malignæ febris argumenta, verùm de peste nulla adhuc suspicio, quia nec bubo, nec carbunculus, inseparabiles ferè veræ pestis Abscessus, apparebat, febris tamen pestilens revera erat, hoc die sequens potiuncula præscripta est ℞. Aq. è f. Cardbened. ℥iiij. C. C. ust. margarit. præparat. ana ℈j. diascord. Fracastor. ℥j. Conf. Alkerm. ʒß. Syr. è succo Cardbened. Essent. Citr. liquid. ana ʒß. M. XI. Mart. Cùm Fauces calore siccisque fuliginibus exurerentur in rimasque dehiscerent, seq. ordinatum ℞. Mucilag. sem. psyll. fact. cum Aq. portulac. Aq. ros. plantag. ana q. s. ℥j. diamor. ʒß. lapid. Prunell. ℈j. Syr. de ros. sicc. ℥ij. M. Febre symptomatibusque magnam partem remissis Analepticis & Julapio sequenti peracta omnis curatio est ℞. Aq. è f. Acetos. Cardbened. scabios. Borrag. ana ℥iij. Vin. Granator. ℥j. succ. Citr. express. ʒß. Syr. Acetos. Citr. è f. Berb. ana ℥iij. Spir. rosar. ʒj. M. Atque ita & hæc orci faucibus erepta est.

## Observ. III.

PRope Arcem Danquerodam decumbunt liberi omnes in quodam vili Tugurio satis acutè, sed propter egestatem rerumque inopiam medicus non adhibetur. Tandem à vicino, opem ut feram propter Deum, rogatus intro angustas ædes sordidasque, invenio quatuor partim in scamno cubantes, alios jacentes in terra, verùm superaverant ferè morbi vim omnes, unus periculosiùs adhuc laborare videbatur, inciderat ab acuto morbo in sanguinis sputum & magnum alvi fluxum, quem adhibitis idoneis medicamentis per Dei gratiam etiam brevi restitui. Ex istis omnibus unus mortuus est, reliqui servati in Septembrem usque sunt incolumes, quo tandem omnes cum Matre solo Patre superstite ipsissimâ exstincti sunt peste. Sanè accidit aliquoties, ut nonnulli bis peste correpti bis victores evaserint, hinc cordatiores facti intrepidè loca infecta adire, cum infectis conversari liberè, nil amplius pestem me-

*XII. Mart.*

tuere: tertiùm verò iterum veneni vim experti victas dedêre manus. Ii, qui periculosum hoc pestilentialium syrtium æquor semel enavigaverunt feliciter, cumque infectis conversari amant, hoc maximè teneant, ut leni pharmaco relictos, à pestilenti febre & imperfecta crisi humores leniter educant corpusque à reliquiis putredinis mundent, lege *Aphorismi XXI. Hipp. sect. I.* tunc minus periculi ipsis erit à recidiva contagiosa, modò non temerario ausu & lucri faciundi ergò sese prostituant, operamque suam ægrotis sat carè venditent, hoc qui faciunt, plerumque audaciæ suæ pœnas morte luunt.

## Observ. IV.

*XXIV. Mart.*

Ecce jam clariora latentis veneni indicia. Vir cum uxore inopinatò corripitur cordis anxietate, capitis dolore absque prægresso horrore, pulsu parum à naturali rithmo declinante. Curant me vocari, purgatur herus, heram autem in superiore tabulato cubantem non videbam. Altera die secatur vena utrique, obambulant adhuc per vices, augetur cordis compressio sive coangustatio heri, heræ non item. Curo utrumque ut malignâ laborantem. Tertio die ostendit mihi maritus in utroque inguine parvum tumorem, (bubo erat) remittit angustia cordis, in uxore nihil observo. Ambigebatur de Peste, & certè suspicio non levis erat, occultabatur tamen omni ingenio, brevi restituuntur. Attende hîc saltem, quomodo per gradus ierit eundoque vires acquisiverit, uti de Fama canit *Virgil. l. IV. Æneid.* Pestis valentissimas. Eodem planè modo decrevit postmodum remisitque paulatim de vigore pristino tempore autumnali.

## Observ. V.

*XXIIX. Mart.*

Vocor ad Fabrum fenestrarium curandum, offendo ipsum sedentem in scamno caligis indutum, præ imbecillitate tamen nunc in cubitum se reclinantem, nunc se erigentem, explorato pulsu febrem deprehendo mitiorem, de cordis anxietate conquerebatur, siti & alvi constipatione, cætera videbatur sanus. De doloribus vel capitis, vel alterius membri, uti & de bubone & carbunculo, quantum mihi ex relatione innotescebat, nec vola nec vestigium. Conjicio ipsum continuâ putridâ laborare, verùm admodum falsus sum, subdolè enim mecum agebant, nec detegebant nudè omnia, quæ tamen scire & è re ægroti erat & medici: Optimè enim medetur, cui optima notitia, & *quis telis suis,*

*ſuis*, inquit alicubi *Cl. Tulpius Conſul & medicus Amſtelredamenſis, attinget, quem non conſpicit, ſcopum?* Et Andabatarum certè pugnat more, qui cum ignoto luctatur morbo. Verùm num ſtudiô aut inſcitè ita egerint, relinquam in medio. Præſcribo ſtatim laxans paratu facilè ex Infuſ. purg. Zvelff. ℥ j ß. Elect. diacathol. ʒij. pulv. rhabarb. ℈j. Camphor. gr. j. Aq. Cinam. cum aq. Cordial. ʒß. M. ab alvi depoſitione bibebat potiunculam refrigerantem, & meliori loco res ejus eſſe viſæ ſunt. Altero die nihil peſtilentis ſuſpicans continuo uſum alterantium confortantiumque, ad meridiem animi deliquium patitur, porrigitur ſeq. ℞. Theriac. de Citro ʒij. Aq. Theriac. Fern. ℥j. Syr. Cort. Citr. ʒj. Tinct. Corallor. ℈ß. M. non omittuntur interim julapia. Circa ſextam veſpertinam iterum ipſum viſitans omnia in pejus ruere interitumque minitari video, os meum ipſius ori ferè jungebam ad ſubmiſſa ejus verba percipienda, nec enim loqui articulatè & ſonorâ voce poterat amplius, aërem craſſum ex lecti commotione haurio omnium ſecurus. Deſcendenti mihi de Cochlea occurrit uxor ſignificans in altero lumbo & poplite maculam elevatam ipſum habere ex purpureo liveſcentem, horreſco ad verbum, ut etiam ultimi pedum articuli ſenſerint ſubitam iſtam animi conſternationem, ſubſequente nocte morbus ipſi finem vitæ facit. Uti quis confitetur ſua errata, ita ab iiſdem abſolvitur. Nihil mihi de Peſte ſuſpicionem movebat, utpote de qua altum in univerſa civitate erat ſilentium, maligni tamen quid ſubeſſe facilè erat conjicere. Scribo tum temporis ad Cl. Herm. Conerdingium Archiatrum Wolferbytanum. ( Ut qui doctorum hominum, præſertim ὁμοτεχνῶν elegantiorum amicitiam & benevolentiam plurimi facio. ) his verbis: *Si hic affectus non eſt ipſa peſtis, ſaltem valde congener ipſi eſt*, nemo tamen vel Medicorum vel hominum vulgarium penitus id cogitabat. Poſſet heîc mihi quis movere litem acriterque exprobrare, quod initio erraverim, ipſamque morbi ſpeciem non perfectè in hoc ægroto apprehenderim, atque adeò hinc facilè cavillandi & alios medicos occaſionem adipiſci. Verum enim verò, etſi non negandus meus iſte error, quem potius ingenuè fateor, tamen optatò traham hîc in conſortium *Galenum* ipſum, qui *lib. II. c. V. de loc. aff. Coli dolorem, quo laborabat, primùm pro nephritico habuiſſe apertè fatetur. Et Ego*, inquit *idem lib. VIII. M. M. c. III. nec in omnibus ægrotantibus fateor exactè me ſcire primo die affectum, nec ullam diariam febrem me fugere.* Et certè homines ſunt medici, & hinc nihil humani à ſe alienum putare debent. *Hippocrat. lib. de veteri medicina* ait, Κἀν ἐγὼ τοῦτον τὸν ἰητρὸν ἰσχυρῶς ἐπαινέοιμι, τὸν σμικρὰ ἁμαρτάνοντα. Τὸ δ' ἀκριβὲς ὀλιγάκις ἐστὶ καθιδεῖν,

*Certè eum Ego Medicum vehementer laudârim, qui leviter delinquat, cum exacta certitudo rara sit conspecta.* Adeò

> *Multa tegit sacro involucro Natura, nec ullis*
> *Fas est scire quidem mortalibus omnia.*

Interim Medicus diligenter observare debet monitum *Hippocr. l. VI. Epid. s. II. t. L. ut in morbis ad hoc se exerceat, quo vel prosit, vel saltim non lædat nihilq; omiserit eorum, quæ ex arte factitanda erant,* quo sensu etiam *Bocchoris Ægyptiorum antiquissimus Legislator lege latâ absolvebat medicos à culpa, si sacri Codicis normam, id est, medendi methodum & normam longi temporis usu firmatam & ab optimis artificibus in curandis ægris observassent accuratè,* uti videre est apud *Diodor. Sicul. lib. I. c. LXXXII.* Nolo tamen istis patrocinari medicis, qui vel uno alteróve in Academiis absoluto anno illotis, quod dicitur, manibus sacram hanc artem invadunt, & masculè sæpe occidunt, qui suæ se concredunt curæ, sive altâ ignorantiâ, sive temeritate id peragant facinus. Quo ex numero certè non sunt eximendi, quibus à fornacum carbonumque Chemicorum pulvere fumoque manus adhuc parum nigrent, & tamen mox experientissimi practici audiunt. His omnibus meritò legem scripsit *Ulpian.* dum inquit, *Quicquid medicus per imperitiam commisit, imputari ipsi omninò debet, nec prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo innoxium esse L. Illicitas. VI §. Sicuti D. de Officio Præsidis. Imperitia enim culpæ annumeratur L. Si servus, XXVII. §. si calicem. XIIX. D. ad L. Aquiliam.*

## OBSERV. VI.

Circa hæc tempora puella XIV. præter propter annorum mittitur à Parentibus allatum cerevisiam, quæ suspensa hedera vendibilis erat in vicinia, ibidem, nescio quam ob causam, vapulat, colophòq; fortiùs impacto humi prosternitur, domum rediens malè habet, paucos post dies moritur. Vocatur in jus, qui colaphum impegerat, diu sub Judice lis est. Jubeor à Magistratu istuc ire cum Deputatis & Chirurgis duobus ad penitius perscrutandum locum affectum, &, si fieri posset, proximam mortis caussam. Consideratis, quæ extra Cranium sunt & collum partibus, invenimus aurem dextram, collum ad humerum usque colore alieno fædata, hunc ex contusione alicujus venulæ provenire esseque sanguinem extravasatum initiò judicavimus, verùm raso capite nihil invenimus, cui sugillatio ejusmodi potuisset adscribi. Itaque interiora Cranei fuerunt adeunda, secuimus, quæsivimus sedulo, an in remotiori aliquo recessu delitesceret aliquid sanguinis coagulati, sed omnia in naturali statu deprehendimus, nec vel guttulam sanguinis extra Vas ibi conspexeris,

xeris ulteriùs non quæsivimus, nec attinebat. A peste, quicquid hujus fuit, fuisse, subsequens dies satis docuit.

## Observ. VII.

Nunc fractis claustris compedibusque solutis in publicum prorumpit magno conatu pestilens virus malitiamque, quâ hactenus malitiosè ex occulto aliquibus fuit infestum, in apricum profert, classicum canit, omnibusque & singulis universæ civitatis incolis apertum bellum indicit, Sartorisque alicujus (cujus Cæsar cognomen) domum tam superbè & atrociter invadit, ùt infecerit, prostraverit, mortique dederit omnes, Parentes, liberos, famulos famulasque minimâ filiâ in vivis relictâ, sed & quæ satis truculenter à pestilentia diu fuit vexata. Primùm liberi corripiuntur, meam opem & operam implorat Parens, præscribitur sudoriferum sequens ℞, Aq. Bezoart. Fischer. ℥j. Theriac. de Citr. ʒij. Terr. Sigillat. ℈ß. mixt. simp. ℈ß. Syr. è s. Cardbened. ʒj ß. M. sequenti die mortem obit, reliqui præservatoria jubentur sumere. Brevi dein ipse Sartor inficitur, petunt accessum meum, recuso, religio enim mihi erat præsentissimo me periculo objicere & exinde fortè, si non corpore, saltem veste contractum venenum ad meos & alios, quos tum plures curabam, deportare, atque ita disseminare malum, quod omni arte potius inhibere oportebat; nec enim eo tempore sacramento obstrictus medicinam faciebam, &, ut fatear, quod res est, magnum mihi jam incusserat metum & terrorem nova illa & truculenta bestia, ut istùc ire à me impetrare planè non potuerim, ideoque aliquot dies absens curo. Posteà alius vocatur Medicus, λαιδρός, qui sat temerè & lubens eò se confert multa pollicitans, sed omnis frustra locatur opera, & intra unam alteramque hebdomadam omnes, ut dixi, perierunt pestis sævitia. *IX. April.*

## Observ. VIII.

Gliscebat per hæc tempora malum, & per plateas, pestem in civitate esse, rumor spargebatur, tunc cautiùs quisque se gerebat, multiq; præmunire se à tam feroci, horrido, fatalique hoste satagantes consilium auxiliumque meum efflagitârunt, quibus multa præscripsi, uni hoc, alteri aliud, inter illa, quæ tuta & experta reperi, primas facilè tenent sequentia: ℞. Aloës rosat. aut Violat. ʒij. Rhabarb. opt. aq. Cinam. aspers. (interdum sine aq. cavendo caliditatem.) ℈iV. Sulph. stillat. Nitr. præparat. ana ℈j. Myrrh. Croc. ad ℈ß. Conserv. rosar. rubr. aut Violar. ʒV. Sacch. albiss. in Aq. Scord. aut aliqua theriacali dissoluti

ti ℥iiij. F. Morſuli pond. ℥ß. bis in ſeptimana ſumendi : interdum diacryd. & aliquid Camphoræ addebatur, prout videbatur hominis conſtitutio id requirere & ejus conditio. Teſtor fidem & conſcientiam meam, neminem illorum, qui horum Morſ. uſum ſibi fecerunt familiarem, vel peſte infectum, vel diem ſuum, quod Ego ſciami, lcet diligentius in id inquiſiverim, obiiſſe. Diebus interjectis ſingulo mane in uſu mihi erat mixtura ſequens. ℞. Decoct. *C. C.* vel Scorzoner. vel utriusque ſimul, ℔ß. Aq. è ſ. Acetoſ. ℥iij. Aqu. Theriac. Fern. Acet. nuc. ſudorif. ana ℥j ß. Oxyſacch ſ. Syr. Atetoſ Citr. ad ℥j. Eſſent. Citr. liquid. ℥ß. Eſſent. Acetoſ. ℥j ß. Bol. armen. aq. roſ. præparat. Terr. ſigillat. ad ℥ß. *C. C.* uſt. præparat. ℈j. Conf. Alkerm. mixt. ſ. And. ana ℥j. Bis in die de hac ſumebatur, mane tribus horis ante prandium, veſperi uná hora ante cibum ſumendum, doſis qualibet vice 3. Cochlearia, & hæc potio adhuc à multis, qui eam ſumpſerunt, magnopere deprædicatur, & formulam ſive deſcriptionem iſtius bene cuſtodiunt. Hiſce ſubjungebam Pulverem ſuffumigatorium, qui *Peucero* adſcribitur, ejus compoſitio talis eſt : ℞. *Vitrioli ungar. vel Goslarienſ.* ℔j. *Nitri puri* ℥ij. *Alumin. myrrh. ana* ℥j. qui ſi vel cum Acet. ſimpl. vel roſat. vel Flor. Tunic. vel alio convenienti in tegulam vel lapidem coctum candefactum inſpergitur, optimum & non inſuavem de ſe fumum ſpargit omnibus domus angulis rimisque ſe inſinuaturum veſtiumque plicas pervaſurum. Et neſcio ſanè, utrum quid nobilius ejusmodi ſuffumigio peſtis tempore poſſit uſurpari meâ ſaltem ſententiâ. Hiſce ſuccedunt & Sulphur. accenſum, & Calx viva in conclavi ſuſpenſa vel poſita, & aqua frigidâ aſperſa, & certè non ultimam merentur laudem.

## Observ. IX.

*XX. Maj.* Ipſâ Pentecoſtes hebdomadâ Matrona quædam cum ſuo marito extra portam exſpatiatur paululum recreandi ſe ergo, in locum, qui nobis dicitur die Maſch/ ubi Cives noſtri quotannis eâ ipſâ ſeptimanâ magno numero convenientes bombardarum, nonnunqum & Tormentorum majorum exploſione ad metam directâ infinitâ ſpectantium multitudine ſeſe exercent. Et ecce, dum illuc ire contendit, retroſpiciens ſtante pede ſequi ſe videt inopinatò virum, cujus domicilium infectum dicebatur, ſtatim terrore percita domum properat, peſtis veneno ſe afflatam clamitat, meq; acciri jubet. Ego è Convivio, quod quidam ex Dnn. Coss. in quadam valli parte inſtruxerant, advolans deprehendo ipſam in hypocauſto ambulantem, triſtem & ſibi malè eſſe conquerentem, præſcribebantur expellentia, Cordialia &c. In eodem conclavi unà ſedebat & annoſa ejus

jus ancilla, proclivitatem in vomitum incusans, præmonui hunc ipsum etiam pestis nuncium non rarò esse, contra asseverabat illa sæpiculè sibi tale quid evenire, & nihil portenti illud portendere, petere se saltem, ut naturæ motum promoveam vomitumque procurem. Annuente & confirmante herâ rem ita se habere, præscribo vomitorium mite, quo assumpto ἄνω καὶ κάτω noctem diemque purgata in aliud conclave secedere jubetur, ibique morti simillima aliquot dies detinetur, delirat, bubo in inguine erumpit, necessaria ibidem ipsi subministrantur. Heram invisens & ipsius ancillæ curam habeo ita flagitante & urgente herâ. Verùm hæc sursum deorsumque purgata post pauculos dies melius habet & convalescit, (sic fortuita remedia aliis interdum sunt efficaciora) heræ vero parvus tumor ad costas nothas obnascitur vix perceptibilis, quiq; nulla arte ad exteriorem corporis habitum poterat protrahi, illa tandem nullo graviore symptomate afflicta placidâ morte defungitur tanta cum animi constantia & alacritate, ut sexum ferè superaret.

## Observ. X.

Alia juvenis uxor nihil dolorum sentiens, nec quicquam in corpore pestilentis, oculis quod potuisset usurpari, animadvertens, conquerebatur de anxietate saltim quadam circa cor, quam ex sola forti imaginatione contraxisse se firmiter asseverabat: Lectum semper rejiciebat, incompositè jacebat & irrequietè, quod malum est ex Hyppocr. non poterat induci, ut crederet contagione pestilenti se esse infectam, hinc medicamenta ægrè, & non nisi multis precibus viri adstantiumque sumebat, quam tamen vel unicum aut alterum Sudoriferum & Alexipharmacum debito usurpatum modo potuisse servare dixisses. Inculpati erat temperamenti, ideoque in vitiosos humores venenum non poterat agere & sæviora accidentia excitare, febris erat mitis & Ephemeræ similis, eoque faciliùs cessisset sudoriferis. Falleris tamen hîc, medice, non rarò symptomatum febrisque lenitate, quod natura jam victa oneri succumbit tumultumque resistendo ciere impotens est, imò plerumque pestis eò perniciosior est, quando vel nulli bubones vel anthraces in corporis habitu erumpunt, tunc enim in spiritibus potius & tenuiore sanguinis parte residere pestilens virus credendum est. *XII. Jun.*

## OBSERV. XI.

XVII. Jun.

QUædam mœroribus tabeſcens, timoribusq; ita anxia erat, ut ad peſtis nomen etiam inhorreſceret, viſâque muliere, quæ populum ad indictiva funera (Tacita funera per certè pauca fuerunt, ſive acerba, ſive immatura ea fuerint, quibus juſta perſoluta non ſint, exceptis iis, quibus Civitatis jus nondum obtigerat. Nec ullus unquam noctu tumbæ illatus eſt, licet antiquum hoc ſit, & tutius de nocte ſepeliantur defuncti peſte, quod tunc minus exhalationum cadavera reddant, populusque non ita frequens in vicis obambulet.) ſollicitabat, præ cordis anxietate in terram pene cadebat, & in re tam trepida cum *T. Hoſtilio templum pallori pavoriq; votura* credebatur, nec aliud illa meditabatur quàm certam mortem, procul tamen adhuc à domûs limine ſtantem, quæ etiam, ut & peſtis, habitaculum ipſius non ſalutavit. Cordialibus, Elix. propr. Par. & peſtilentialibus pilulis Ruffi præſervabatur, quam tamen juràſſes non potuiſſe ſervari, domus ſuffumigiis pura manebat. Quomodo hæc vim contagii evaſerit, dubitaveris fortè, cum Medici omnes ſtatuant, verisſimumque ſit, Terrore & metu nihil eſſe peſtilentius. Cauſſam quidam dicunt eſſe quod, qui timent, ſemper frigidiores ſpiritus ſanguinemque habeant. Poſſum ſanctè affirmare, ſæpe ſæpius mihi tale quid eveniſſe inſperatò, unde animus repentè obſtupefieret, ſine ullo tamen (pro quo Deo ſoſpitatori meo indeſinens debetur gratiarum actio) ſanitatis incommodo.

## OBSERV. XII.

XIX. Jun.

ADoleſcenti cuidam ſcholaſtico plurima in corpore ἐξανθήματα, & ulcuſcula purpurea nigricantiaque oboriebantur inſtar ſcabiei alicujus, absque ullis aliis ſymptomatibus. Mihi hoc ſuſpectum valde erat, illi contra ſtrenuè nitenti cæteraque ſe ſanisſimum affirmanti præſcribo purgans, quod ſepties ſollicitavit alvum, à quo morbus nec melior nec deterior factus eſt, tamen paulatim adhibito unguento evanuêre iſta Ἀποςήματα, quæ capitis aliqualis dolor comitabatur. Carbunculos peſtilentiales fuiſſe probabile admodum mihi fiebat, quia peſtis ſeminarium jam tum in civitate ſparſum noveram, & ferè uno eodemque tempore prodibant ulcuſcula illa, tum quod ſoror ipſius poſt paucos dies bubone corripiebatur peſtilenti, quo etiam lecto detinebatur, quem meis ipſe manibus contrectavi, adhibitisque unguentis & Emplaſtris perfectè ſanavi, uti & alios quam plurimos, Chirurgis ſuam ope-

operam initiò ægrotis denegantibus, donec Magistratus quendam mercede conductum præficeret laborantibus, qui tamen non diu in humanis fuit, sicuti post peculiari observatione patebit.

## Observ. XIII.

XX. Jun.

QUædam puella IX. aut X. annorum correpta peste continuis vomitibus molestabatur,& de maximis cordis angustiis conquerebatur, à confortantibus sistentibusque enormem illum vomendi conatum pejus habebat, adeo ut nec externè nec internè vomitum coercentia præscribere potuerimus debuerimusque, solis odoriferis ad plusculos dies sustentata est, post mente capta Fatis cessit. Notes obiter, quod heic non pars illa principalissima corporis,quæ Cor adpellatur propriè, indigitetur, supráque Διάφραγμα intra pulmones conditur,incessabili & interrupto systoles & diastoles motu palpitat, fonsque est vitæ & caloris; sed intelligitur hic os ventriculi superius, quod veteres Cor appellitavêre, ut vel ex *Gal. comment, super Aph. Hippocr. s. IV. Aph. L XV.* palam est. Paucos esse servatos, quibus vomitus sit imperatus, certissimum mihi est, adeo sanè primis digitorum articulis vomitoria attingenda in pestis curatione: Cum enim initio nescias, quò vergat natura, aut ubi imprimis lateat recondita vis veneni, ἀλόγως agis, cùm excitas id, quod satius fuerit quiescere, nec in tua potestate est sistere, quod ad motum imprudenter excitâsti. Ideoque hic magnâ circumspectione opus est, ne incidas in Scyllam, dum satagis vitare Charybdim. Statuunt medici ( dictitat hoc & ratio, & experientia confirmat) quartâ, immò, dico Ego, & primâ & secundâ, aliàs

*Elleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,*
*Poscentem videas, venienti occurrite morbo,*

ab invasionis horâ sudorifera esse exhibenda,quãdo ergo vomitoria? Præterea sæpe ipsum ægrum invasionis hora latet, ut qui in somno corripiuntur expergefactique jam bubonem habent, quale infra exemplum proponetur, aut qui semper dormiunt, nec quicquam in corpore erumpit. Si criticus est motus sive vomitus,nunquam sistendus,nî modũ excedat:quia verò in Peste verã crisin rarissimè deprehendas exspectésve,raròq; natura ἀρτίως expellat materiam morbificam in peste,& quibus hoc obtingit,bene cum illis agitur,sed sæpius orgasmus est materiæ præ copia,cautè quæso agas, ne præcipites ægrum in laqueos inextricabiles: Morbus enim sic

*Exsuperat magis ægrescitq; medendo.*

Nec Pestis vomitum indicat propriè & per se, sicuti nec venæsectionem

 aut

aut purgationem. utpote quæ non plenitudinis excessu verùm pravitate nos oppugnet. ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρονται, ξυμφέρει, ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον, *ex Hippocr. sect. I. Aph. II. Si talia, qualia oportet, purgantur, bene est sin minus, contrarium evenit.* Cum ventriculus impurus est, aut inibi fortè pestiferum virus residet, nonnunquam conducit vomitus juxta *Aph. XX. s. I.* Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, Ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων Ast, uti jam monui, magnâ circumspectione & firmo στοχασμῷ hic opus est, ne noceas illi, cui veneras auxilio.

## Observ. XIV.

*XXVIII. Jun.* MEdicus urbis nostræ primarius & Senior, Amicus meus honorandus, ab aliquot annis malè habet ob Cardialgiam, uti ajebat, sæpè sæpiùs ipsum affligentem, quam plerumque vomitu sedabat, aut saltem mitigabat, imò opinabatur maleficio se illaqueatum, quàm opinionem animo suo evelli vix patiebatur. Is iterum consueto morbo irretitur vesperi, vomit, plures clysteres domestici & paratu faciles injiciuntur, sed sine fructu. Itaque cum hâc via non procedit medela, aliam ingreditur, & vomitu vomitum curaturus Tart. Emetici gr. ij. assumit, pejus habet, horâ noctis prima me accersiri jubet, invenio ipsum periculosiùs quàm aliàs decumbentem cum maxima anxietate, Clysterem præscribo iterum, operatur, sed res ejus inde haut meliores evadunt. Mane circa horam quintam iterum vocor, advolo, auctam video cordis anxietatem, propterea jubeo confici ipso annuente Aquam cordialem cum carminantibus & Anodyno Cordiali, quod opium ingreditur, verùm nec sedatur angustia cordis, nec sistitur vomendi conatus, ideoque ipse assuetæ curæ insistens vomitum iterum digitis proritabat, ultimo tandem materia nigricans evomitur, circa octavam moritur. Metuo valde, ne pestilens virus se associaverit huic affectui, cùm postea omnes ejus superstites paucis hebdomadis interjectis eo fuerint infecti, quidam etiam mortui, uti in sequentibus notabitur.

## Observ. XV.

*XXIX. Jun.* FÆmina constantis ætatis, frigidi sicci temperamenti corporisque non impuri, conqueri incipit de nausea cum capitis dolore. Vocatus Enema statim injici jubeo, circa vesperam sudoriferum sumit. Manè meliùs habens de alvi stipticitate saltim sollicita est, illamque ut

ut solvam, obnixè petit. Cùm nondum omninò constaret contagiosâ lue illam teneri, petitioni illius satisfacturus præscribo pulverem laxativum ex crem. Tart. ℈j. Fec. rad. Aron. ℈ß. diacryd. Sulphur. Camphor. ana gr. j. bis operatus est cum εὐφορίᾳ, bihorio à medicamenti operatione in utroque inguine bubo erumpit nullo gravi symptomate stipatus, applico Empl. diachyl. s. & de Meliloto cum ol. scorpion. vel etiam Elix. pestilentiali Croll. malaxatum, sed neuter ad maturitatem pervenit, brevi integrè convaluit. Multoties usus sum hoc Empl. felicissimè, emollit, maturat, discutit: & licet Unguenta & Emplastra quodammodo obstruere cutis poros videantur, tamen quia emolliendi, digerendi & discutiendi vim obtinent, & quando calidè inunguntur, non obsunt. Per certò sæpe, immò ferè semper, ὀρθόδοξος & recti consultissima natura magno hominis bono ad glandulas sive adenes, carnes puta humidissimas, inguinales & alias protrudit materiam pestilentem, unde bubo pestifer emergit, Ille ipse Bubo (uti & Carbunculus sive Anthrax) non semper in humidum ulcusculum degenerat, sed sæpe siccatur & per se evanescere consuevit, aut, quod *& Hippocrati notatum III. Epidem.* §. XXIV. ad quam putredinis diversitatem respexisse videtur *Gal. in III. comment.* ad eundem locum, abire in putredinem à pure diversam. Quando enim materia vel pauca est, vel persudores uberes aliò versa, fit, ut suo quasi nutrimento privatus tumor augeri primò desinat, mox calore partis nativo, adde & medicamenti externi, discutiatur & in auras exolvatur. Interim nil vetat processu temporis pro materiis crassioribus educendis in usum flectere benigna cathartica.

## Observ. XVI.

Prægnantes ocyùs frequentiùsq; peste solere aliis corripi neminē puto ambigere, cùm corpora habeant pravis humoribus referta, eosq; ad putrescendum valde dispositos. Interim tamen & hoc verum, mille licet, tum sui, tum fætûs concepti ratione, sint obnoxiæ periculis & mutationibus, quod gravissima quandoque etiam perpessæ fuerint illæso fætu. Ita *quædam duodecies purgata incolumi fætu, hydropica fuit.* *Ballon. l. II. Epid. & Ephemerid. p. CCLXV.* *Cuidam sanguis multus fluxit ex utero, credebamus aborsuram, tamen ad justum pariendi tempus fætus utero gestatus est.* *Puella gravida fætum abactura totis sexaginta diebus Euphorbii ʒj. quotidie assumsit, nullo tamen profectu.* *Henric. ab Heer Obs. XIV. p. CLXXII. etiam cyclamini radices in sinum pudoris adegit p. CLXXIX.* Plura hîc compilare exempla nil attinet, id, quod sequitur satis declarat, *XXX. Jun.*

 quid

quid prægnans sustinere possit, & certè meretur hic Casus observari diligentissimè. Cujusdam jura docti Uxor septem menses gravida malè habet, me & obstetricem curat accersiri. Convenimus ambo, deprehendimus carbunculum purpureum in inani parte lateris sinistri in musculo obliquè descendente. Præscripta sunt Alexipharmaca, Confortantia, Clysteres, sudare non poterat, nec id obstinatè fuit urgendum, ἱδρωτικὰ enim & menses movent, & urinam, quod hic propter fœtum grandiusculum tentare fas haut erat. Analepticis, Alexipharmacis temperatis, fœtumque respicientibus medicamentis res omnis peragi postulabat, donec Ἄνθραξ ad maturitatem pervenit, quod satis diu protractum est tempus, & ad tantam amplitudinem venit, ùt volâ manûs obtegi ferè nequiret, tamq; profundus erat, ùt pollicem abscondidisses in ipsius cavitate, dixissesque penetrâsse ad ipsum peritonæum. Accidentia multa aderant, & summa virium prostratio, nunc lipothymia, vigilię pertinaces, alvi obstructio frequens, nunc deglutitionis impotentia, & quando deglutire cupiebat, dolor à ventriculo per totum oesophagum quasi percipiebatur, à fuliginibus siccis acribusq; inductus. Non semel mehercules pro deplorata illam judicavimus, debito tamen tempore sanum enixa fœtum est. Mirum quod non intrârit ipsum uterum venenum, ejeceritq; non reluctantem tenellum fœtum, quod in aliis pluribus ânimadvertere contigit. Statuendum quod potentior veneni vis ad musculum illum à natura morborum medicatrice fuerit protrusa, nec enim bubonem ullum experta est, sed febrim intensam, quæ multum negotii nobis facessebat. Clysteres purgantes & refrigerantes omnium optimam attulisse visi sunt opem. Atq; ita tandem Numinis benignitate feliciter periculosam hanc enavigavit Charybdim, quæ ab omnibus certo certiùs credebatur pessum itura.

## Observ. XVII.

Circa diem Joann. Baptistæ quidam juris peritus periculum, quod omnibus imminebat, evitaturus hinc Hannoveram curru vehitur, in itinere nonnihil malè cæpit habere, dum Hannoveræ est, illico consulit CL. Busmannum Medicum ibidem, qui conspecto ægroto auditoque unde esset advectus peste ipsum laborare pronunciat, nec sibi ex mandato Serenissimi Principis integrum medicam ipsi adhibere manum, propterea statim ad nos redit, in inguine enascitur bubo, suppuratur, curatur tribus septimanis feliciter & pristinam valetudinem brevi recepit. Quod hic corpus suum semper purum à pravis humoribus servaverat, hujus nunc fructum tulit non mehercule pænitendum.

Ob-

## OBSERV. XVIII.

QUodam die, cum nondum invaluerat pestis, dabaturque spatium animi recreandi ergò tantisper expatiari, cum filio meo extra portam pedem pono etiam hoc fine, ut ab Aucupe aviculas quasdam emerem, in hypocausto meo ut circumvolitarent, alisque suis aërem verberando istum purificarent, utque ex ipsarum vel malè vel bene esse aëris dispositionem & puritatem æstimarem. Fores dum pulso accurrens puella patrem domi esse negat, ille in tabulato decumbens morbum celat, auditoque quid vellem, dicebat, se nullas nunc habere aves, cras se velle eas inescare, & si quas caperet, mihi venditurum. Altero die iterum istuc eo sciscitatum de captura avium, & ecce bonum Aucupem vitâ functum in domûs area arcæ suæ ferali inclusum offendo non sine animi magnâ consternatione, mitto aves, nec ulterius ad ædes ejus me confero. Hic pridie cæperat ægrotare ex accepto nuntio, quod medicus, quo cum familiariter vixerat, graviter decumberet, leviter horruit cum aliquali capitis dolore appetitûsque imminutione, manè, quo ipsum hujus rei inscius adibam, pulverem pyrium, quantum ad bombardæ explosionem sufficit, cum aceto sumpserat, non sudavit inde, potius inflatus venter, nec ἀνώθεν nec κατώθεν sese exonerare potuit, donec tandem vomitus allevationem attulit, superato hoc accidente eodem die abit in rus munia sua expediturus, vesperi pejus habet, in corporis habitu nihil apparet, ipsâ nocte mortem cum vita commutat. Dum maritus in feretro est, incipit ægrotare & marita carbunculo in carpi flexore primo seu externo sinistri brachii exorto, & in collo, bubone autem magno adenosas inguinis partes occupante, qui ad maturitatem non pervenit, quod mireris, propter magnam protuberantiam, sequitur infecta mariti exequias. Sequenti die à re forinsecus accedente perterrefit, incipit varia sibi imaginari, delirare, fit maniaca deliriis adeo efferis, ut discurrerit extra domum pernici cursu, sepesque hinc inde saltibus superaverit, postero die quietior est & paulatim ad se rediens integrè restituitur omnium adhuc bene memor. *III. Julii.*

## OBSERV. XIX.

FIliolus meus lactens incipit segniùs ore apprehēdere matris papillas *V. Jul.*

*Hosce pios illi concessum munus in usus*

die Veneris, & nonnihil pallere, macula aut tumor in corpore nullus, die Solis convulsivis corripitur motibus adhuc nihil quicquam exteriùs apparente, circa tertiam pomeridianam

Ex-

*Expirabat eas, modò quas acceperat, auras*

mortuo lumbi & dorſum ſtatim fædantur multis amplis maculis inſtar ſugillatorum. Num Peſtis ipſi vitæ abruperit filum, incertum, quia & aliis Epilepſiâ aut Apoplexiâ extinctis cutem maculis deturpari ſcimus. Ex vehementi enim ipſorum lucta & motu concusſivo facilè aliquid tenuioris ſanguinis in cutem poteſt protrudi, quod poſt mortem liveſcit aut nigret calore vitali & temperante evanido, relicto ſaltim ad tempus calore mixti, qui etiam poſt mortem in cadavere, usque dum putrere incipit, ſuperſtes eſt. Atque ita brevitate vitæ ſuperavit incommoda, quæ allatura fortè erat inſequens ætas.

## Observ. XX.

*V. Jul.*

Bubones non ſemper ſuppurari, ſed diſcuti ſæpe, jam tum monitum. Hinc etiam difficulter quandoque admittunt attrahentia, πεπτικὰ & ἐκπυητικὰ, & demens ſit, qui hoc obſtinatè tentet, ſatius enim diſcutientibus uti & per ἄδηλον διαπνοὴν evacuantibus, quam iſtis Chirurgicis inhiare auxiliis, & diutius urentibus inhærere remediis, affrictus blandus, Veſicatorium, & Empl. diachyl. ſ. & compoſ. cum parte quadam meliloti, cui nonnihil de Theriaca ſit admixtum, & cum ol. Scorpion malaxatum tepidèque applicatum, apprimè valet & expertum eſt remedium, ſive maturationem ſive diſcusſionem ſpectes, nec adeo extimeſcenda ab Emplaſticis pororum cutis occluſio, quod leniter fricando bubonem poteſt præcaveri uno alteroque foramine in panno emplaſtri materia oblito relicto. Fœmina Sola à peſte in domo ſua reliqua (mariti liberorumque animabus ad cœleſtia gaudia avocatis) gravisſimè peſte corripitur, vomitus multus, bubo ſub axilla ſiniſtra mediocris, alvi obſtipatio, oris notabilis ſiccitas. Octavo morbi die accedebat, aliàs non obſervatus, latus rubor flaveſcens in facie, pectore, brachio ſiniſtro, dorſo, dolorem nullum præter quendam pruritum inferens, ſenſim panni linei confricatione poſt aliquot dies evanuit. Hujus bubo ad maturitatem perduci minimè poterat, ſed cum tempore tandem naturæ & medicamentorum prædictorum ope diſcusſus eſt, alvus clyſteribus multis ſervabatur aperta. Vomitum compeſcuit hic pulvis ℞. Lign. Aloes, ſantal. alb. Cort. Citr. Maſtich. ſemin. portulac. Coriandr. ana ℈j. Oris ſiccitas tanta fuit fauciumque anguſtia, ut cum magno labore & difficillimè deglutiret anginamque minaretur.

Adhuc ſana vivit.

Ob-

## Observ. XXI.

Alius, qui ſacra tractat, uxor ad octavum jam menſem gravida non tam notabili peſte affecta erat, uti prior, potius ob animi, quod liberi ancillaque graviter peſtiferâ lue decumbebant, mærorem metumque peſtis ægrotare videbatur domeſtica munia ad duos dies bene procurans. Illa lecto cùm ſeſe commiſiſſet, valde opem meam implorat, ſatis apertè ſibi vaticinans ſe imminens haud evaſurum periculum, non tam ob contractam peſtem, quam, quod utero gerebat, onus. Correptæ medicamenta nihil omninò profuerunt, propterea ad fætum mortuum ſaltim expellendum omnis adhibebatur opera & labor, non neglectis interim Cordialibus, Alexipharmacis, ſed fruſtra fiebant omnia, nec enim poterat ejici octimeſtris fætus etiam validisſimis ἐκβολίοις ſive φθορίοις, ultimo tandem vitæ articulo non tam naturæ quàm morbi vi exanimis in lucem protruſus eſt. In toto corpore nihil peſtilentis erat, ita animi mollities & trepidatio concluſerat omne venenum, traxeratque calidior uterus internecinum ad ſe hoſpitem. Sic multa in peſte fieri contraria advertas. *VI Julii.*

## Observ. XXII.

Speramus ſemper meliora, ſi carbunculus aut bubo citò erumpit maturèque maturitatem adipiſcitur: fallimur tamen hoc prognoſtico non rarò egregiè, quando vel imperfecta eſt Criſis, vel ſymptomaticè potiùs movetur materia, & non omne, quod corpus infecerat, exterminatur venenum, vel externa aliqua impediens adveniat cauſſa, quæ vel remeare cogat, quod certum curſum tenuerat, virus, vel intus latentis labis motum ulteriorem tardet. Scholaſtico XX. prope annos nato bubo in inguine ſiniſtro oritur magnus, ſat maturè coquitur tum vigore naturæ tùm arte, ferroque aperitur ex voto, multa ſpes hinc ægroto & Chirurgo. Procedente tempore multùm æſtuat, lecto continere ſe nolebat, hinc inde diſcurrebat, ſudore frigido corpus madebat ὀλέτρια hæc erant, & tunc primùm vocor. Cubile ipſius ventis aërique, qui tum forte frigidiuſculus erat & pluvioſus, nocturno pariter & diurno patebat, unde exituro veneno via præcludebatur, & portio peſtiferi contagii, quæ partim in bubone jam conſederat, partim eò curſum ſuum directura ſperabatur, mutato recto tramite ad cerebrum retrò ivit, ſpiritus ibi turbavit, tumultuque concitato aliena loqui ipſam adegit, deſperata videbantur omnia, bubo in ipſum usque autumnum apertus manſit, nec poterat citius conſilidari ullâ ope. Ita refractarii ſæpè ſunt peſtilentes bubones *VII. Julii.*


æger-

ægerque toto eo tempore dubia valetudine fuit, tandem medicamentis Alexipharmacis alterantibus laxantibusque integrè convaluit.

VII. Jul.

## Observ. XXIII.

Πολύμορφος est Pestis modò hujus, illius modò affectus speciem mentiens, & nisi ceteri morbi eo tempore silerent, jures hoc aut illo affectu decesisse homines, qui tamen ipsissimâ peste sunt exstincti. Famulus cujusdam mercatoris acutissimis dentium doloribus tantùm non exanimatur. Hera, ut satis provida est & sagax, me vocari curat, primo intuitu nihil præter tumidam malam dextram observo, verùm accuratiùs exploranti mihi occurrit pulsus celerior, appetitus liquidi quàm solidi intensior, alvus obstructa. Quibus suspectis signis excitatus sequentem sudoriferam potiunculam ordinavi ℞. Aq. è s. Cardbened. Aq. Nuc. diaph. Acet. nuc. sudorif. ana ℥j. Syr. Scord. ℥ß. Bol. armen. Terr. sigill. Elix. pest. Croll. ana ℈ß. M. fit in duas doses. Postea bibit mixturam sequentem ℞. Decoct. C. C. crud. clauso vase fact. ℔j. Spir. lign. sassafr. ℥iij. Succi Citr. Rob. Berb. Rib. ana ℥ß. Julep. ros. ℥j. Spir. Sulphur. acid. ℈j. Exteriùs applicabat Empl. diachyl. s. de Melilot. ana ℥ij. Theriac. ℥ß. malax. cum Ol. scorpion. Hisce & nonnullis aliis domesticis remediis discussus est intolerabilis ille dolor, & tumor paulatim evanuit.

VII. Jul.

## Observ. XXIV.

Cacochymici, & qui diætam non observant, corpusque pluribus excrementiis humoribus refertum habent, & in diem vivunt, majus aliis, quorum corpora pura sunt, & ad regulam vivunt, periculum incurrunt, est tamen, & hìc, sicuti alibi, consuetudini quid tribuendum. Gravidæ præ aliis abundant superfluis, tùm ex retentis, quæ aliàs stato naturæ cursu excernuntur, tùm quod non temerè illas purgaveris, venam secueris, adque sudorem illas compuleris, ideòq; huic concipiendæ fomiti omnium optimè expositæ experiuntur virus pestilens citius aliis, & ad unam ferè omnes eo exstinguuntur. Fæmina dimidio Gestationis tempore peste inficitur, bubone in inguine excitato, sumit pulverem Bezoart. cum aq. nuc. sudorif. & spir. lign. sarsafr. parum sudat, confortatur Julapio, prospicitur buboni, altero vel tertio die abortit, lochia ad placitum procedunt, non ἀθρόως, ut in aliis ad eundem modum decumbentibus observatum, bubo non maturatur, nec discutitur, reliquimus illum naturæ elaborandum, atque ita illam dimisimus. Dum aliquan-

quando multò tempore pòst ædes ipsius prætereo, vocat me, adque se ut paululum divertam petit, tunc narrabat mihi Apostema suum sponte ruptum multum purulentæ ichorosæque materiæ profudisse, ipsa sanavit illud. Alteri primiparæ, quæ abortum fecerat copiosius lochia fluunt, à partu meliùs habebat, meque subridens tanquam periculo omni decollato dimisit. Cum circa vesperam iterum ipsam inviso, ἄφωνον eam invenio, facies rubebat & inflata erat, lochia staban t, & vi morbi sursum rapta ipsa eadem hora ipsi vitæ finem adferebant. De utero gerentibuscumque morbo quopiam acuto conflictantibus egregius est Aphor. *Hipp. XXXI, V.* γυναικὶ ἐν γαςεὶ ἐχούσῃ ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον.

## Observ. XXV.

Virgo *plenis nubilis annis* nullo alio symptomate laborabat quàm vigiliis, & vomitu, cum facie tumidiuscula rubente. Venæ sectio huic haud dubiè profuisset, si maturè consuluisset medicum, vomitum compescere in nostra non erat potestate nec somnum conciliare, quarto aut quinto die cum vomitu ipsam animam evomuit. Sequenti medicamento per horas aliquot stetit vomitus, sed postea vehementiùs repetiit, quod priore quiete neglexerat. ℞ Conserv. ros. rubr. Vitriol. Acetosell. è toto Citr. Meliss. ana ℥ß. Diacyton. s. Specieb. ʒiij. pulv. rad. Torment. ʒß. Extr. Angelic. ℈j. Syr. Acetosit. Citr. q. s. F. Elect. Nolui validiora adhibere adstringentia, quia vires adhuc constabant, & in tali vomitu sæpius naturæ robur & conatus exspectandus. Nulla evacuatio, etiamsi sit merè symptomatica hîc temerè cohibenda: Interdum enim Symptomaticæ istæ evacuationes per accidens naturam juvant, materiam peccantem minuendo, virtutemque vitalem suffocatam quodammodo liberando. *IX. Jul.*

## Observ. XXVI.

Quædam ulcusculum habebat in extremitate pollicis admodum dolens, chirurgus ex arte illud tractabat, domestica munia illa adhuc obibat, nec quicquam præsentis mali metuebat, præterquam quod valde erat timida & de grassanti peste anxia. Suspensos nos habebat animi, utrum vera pestis esset, præscribo tamen quæ contra pestem facerent, atque illam dimitto. Post decem quatuordecimve dies demum ipsius fortè præteriens, cum vocor ad filiam ejus lethaliter de- *X. Jul.*

cumbentem parotide pestilentiali, unà invenio & ipsam Matrem agonizantem cum bubone sub axilla, de quo antea, cum pollicis ulcusculum curabatur, ne verbulum audiebatur. Num hæc recidiva erat? Credo. Aut de novo peste infecta est, cùm ædes ipsius jam multum contraxissent contagii? nec hoc inconveniens.

## OBSERV. XXVII.

*XII. Jul.*

FÆmina pleni habitus πολύαιμος ætatisque ἀκμὴν vix attingens, horrore corripitur, parum sudat, nec enim se tegi propter æstuationem patiebatur, post sudorem nihil melius habet, angustia erat circa cor & æstus maximus, rubor circa faciem multus, ut igne accensa videretur, alvus segnior suppositorio sollicitabatur ad opus suum peragendum. Quâ de caussa V.S. sit dilata & neglecta non possum recordari, nec enim queo omnium meminisse, quæ annotare me vetabat innumerus ægrotantium numerus. Non poterat sedari medicamentis calor iste uberrimus etiam frigidissimis, quæ mixtim aut alternatim cum Alexipharmacis exhibebantur. Quarto quintóve primùm die bubo in inguine erupit & menstrua fluunt, æstu nihil imminuto, sequenti die aliena loquitur, deliriumque mensibus cursum suum continuantibus increscit, somnus omnis abest, septimo die abiit ad plures. Absque dubio huic profuisset apertio venæ maturè celebrata & laxans aliquod, plenitudine enim oneratæ vires seriùs expulerunt, quod sibi erat oneri, cuique postea ferendo erant impares.

## OBSERV. XXVIII.

*XV. Jul.*

VIr sexagenario major, publicæ qui etiam præerat rei, vesperi sanus, uti credebat, cubitum se confert, obdormiscit, mediâ nocte horrore pestilentiali expergiscit. Illâ horripilatione è somno excitatus, quod ad manus erat, sumit medicamentum sudoriferum, sudat, declinante nocte advocor, deprehendo intensum calorem, pulsum vehementem & celerem. Ordinatum est refrigerans & confortans, iterumque sudor imperatur. Discedo. Circa nonam matutinam revertens ἄφωνον ferè ipsum & vix perceptibilia loqui invenio, bubo in inguine parvus protuberabat indolens, neque manus neque pes suum faciebant officium, altè spirabat sed absque stertore. Altero die abiit è vita. Ipso adhuc vivente cœpit etiam malè habere & ipsius uxor annis haut minor, bubonem in inguine habebat, levius tamen pestilenti contagio tacta videbatur ob gravio-

viorum ſymptomatum abſentiam, evaſuraque credebatur, verùm quod naturâ abhorrebat à medicina, poſt paucos dies ſecuta prædeceſſorem maritum eſt.

## Observ. XXIX.

XV. Jul.

MAter, & filia XVI. annos, unà ægrotant, illa graviùs, mitiùs hæc, ſaltem quoad accidentia, decumbit, mater bubonem in inguine dextro habet, filia nec carbonem nec bubonem, hæc quietior eſt, niſi quod ultimo vitæ die ſtragula rejiciebat ſibi impoſita, mente non conſtabat, nec ad interrogata reſpondebat, tertio die moritur. Mater valde æſtuat, hinc inde corpus volutat, ſomnum non videt per aliquot dies, plurimus calor adeſt, delirat. Ex bubone venenum veſicatorio ſategimus evocare, nec malè ceſſit, ſuppuratur tandem, meliùsque in dies habet & reconvaleſcit, quæ propter inquietudinem ne guttulam ſudoris profuderat.

## Observ. XXX.

XVI. Jul.

COnſulis cujusdam filia horrorem patitur cum aliquali capitis dolore, ſtatim asſumpto ſudorifero ſudorem prolicit, à ſudore calor increſcit capitisque dolor, iterum ſudat & corroborantem potiunculam bibit. Altero die parvus ſub mammilla dextra apparet carbunculus ad coſtas ſpurias, fit ulcuſculum non profundum, quod biduum ichore flavo ſtillabat, remittit febris, curatur Carbunculus absque ullius chirurgi ope & manu Empl. & unguentis cum Theriac. & ol. ſcorpion. mixtis. Brevi reſtituitur integræ ſanitati, nec ullus alius ex liberis, quæ plures inibi erant, inficitur, uti quoque nullus ex omnibus domeſticis. Singularis dei gratia erat, quæ huic familiæ ita ſalutariter proſpexit & benignè, quod an alteri præterea contigerit noſtro illo calamitoſo tempore, ignoro.

## Observ. XXXI.

XVII. Jul.

MUlier L. prope annorũ queritur de anguſtia Cordis, (os ventriculi intellige) ructibus, obæſi erat corporis & obnoxia aliàs affectib. uterinis. Ad quam eum viſito, offendo eam ſine ſtragulo operiente corpus jacentem, difficulterque anhelantem, aliàs rectisſimæ erat mentis & impeditè loquebatur. Remedia peſti contrariantia & ſudorifera præſcribere dum laboro, illa obſtinatè reclamat ſibi nihil

cum peste, nec ullo modo se peste decumbere, saltem antiquum & consuetum uteri affectum hanc sibi molestiam creare, nec velle nec posse se movendo sudori sese componere, petere se tantùm uterina.

*Quid facias illi? jubeas miseram esse libenter.*

Annuo tamen, interim contagi dicata præscribo. Altero vel tertio die moritur. Tanti est in arduis jocari & optimis consiliis reluctari. Illius filia, quæ eodem tempore laborabat, plurimis parvis carbonibus in superioribus corporis partibus pectore & mammis defædata erat, vigilabat, delirabat, eodem, ni fallor, die cum matre morte defungitur.

## OBSERV. XXXII.

*XVII. Jul.*

PUer sex aut septem annorum extra portam cum Matre it evulsum linum, curru in urbem adferendum, petit se imponi fasciculis lini in curru positis, ut fieri consuevit, annuunt, non longè curru vehitur, & ecce repente obmutescit, insueto membrorum motu corripitur, membra hinc inde jactat, aperto ore jacet elinguis, post biduum, nî fallit me calculus, redit ad se immemor omnium, quæ contigerant. Forsan ex Lino virulenti, & nescio quid maligni, spirante hoc contraxit mali. Verùm cum nihil nisi pestis esset, quo te cunque vertebas, & hic ut pestilentiâ correptus tractabatur, optato sanè eventu.

## OBSERV. XXXIII.

*XIX. Jul.*

ADolescens Scholasticus corripitur carbunculo sub axilla sinistra satis magno, curatur primùm operâ Chirurgi, interdum è lecto surgens in musæum suum nullo graviore symptomate stipatus se confert, certo credens morbum omnem jam debellatum. Verùm cum curatio ex voto minus succederet, Chirurgumque ulterius sive consilium sive juvandi studium deficeret, itum ad me est. Conspecto ægroto ulcus sub axilla admodum sordidum & amplum deprehendo, curationem ob arteriarum, venarum, nervorum, ligamentorumque concursum vix admissurum, æstuabat æger, præ dolore multo somnum non capiebat, motis sudoribus catharticoque blando dato melius habere visus est: verum cum ulcus κακοηθὲς altius longiusque instar cancri alicujus serperet in dies, in pejus omnia ruerunt, tandemque decrescentibus viribus decrevit & ipsius vita unàque cum viribus ipsam amisit animam. Ab initio rectè tractatus potuisset servari.

OB-

## OBSERV. XXXIV.

XX. Jal,

VIri optimi & Docti uxor corripitur peste & multùm æstuante calore, illico accersor, pulverem expellentem Cordialem sumere ipsam jubeo ex Pulv. Bez. Senn. ʒß. Magist. C. C. ocul. 69. nitr. perlat. ana ℈ß. (nitrum perlatum egregium medicamentum est in peste,) M. dividatur in part. æq. ij. sumatur cum aq. è f. Acetos. Cardbened. Aurant. Aq. Theriac. Fern. de qua mistura etiam bibit. Pejus habet, præscribitur altero die seq. pulvis ℞. Magist. C. C. ℈j. Smaragd. præparat. gr. V. nitr. perlat. ℈ß. item hæc aq. ℞. Aq. è f. Acetos. Cardbened. ana ℥ij. Cordial. frigid. ℥jß. Cinam. diaborr. ℥j. man. Christ. perlat. ʒj. A cujus sumptione remisit in celeritate & magnitudine nonnihil pulsus, quem dum extremis digitorum apicibus exploro, datâ opera averto faciem, & reclinato corpore carpum ipsius tango, nolebam enim crassum fætidumque & incongruum odorem pædoremque ex lecti commotione confertim exhalantem sciens naribus excipere. Verùm, quod mireris, hoc corporis mei positu tantum efficio, ut me repudiato Collegam meum, qui tum primùm advenerat, accersiri me inscio curaverit, culpam in me omnem rejiciens tanquam tergum ipsi obvertissem, vel, ut veriùs efferam, posteriora, (sit honos verbo) atque ita minus magnificè vel honorificè ipsam tractâssem. Egregia mehercules gratia pro tam fideli & periculi plena præstita opera, fortè nondum mens recta constitit ipsi, ut vacillat plerumque ex peste ægrotantibus recta ratio. Sed quod nolim præteriri, non opus erat, novo medico, cùm fracta jam major vis morbi esset, reveraque jam declinaret morbus atque ægra sanescere inciperet, prout etiam adhuc bene valet. Ita sæpe *solent prima sordere, cum majora melioraq; sperantur,* (quâ sententia *Q. Curtius affectuum lenit symptomata*) *sed argumentum recti est, Senecæ judicio, displicuisse malis & contemptum ipsum contempsisse.* Quid si hîc ut olim Mediolani, sicut testatur *Septal. Animad. & caut. l. V. p. CXXX.* lege cautum fuisset, ne *tempore pestis primis quatuor diebus medici arteriarum pulsus pertangant?* Et est *Simon Paulli* medicus Regius Danicus & Professor Hafniæ Præceptor olim meus colendissimus in παρεκβάσει sua in ea sententia, quod *manus pedesq; magis quàm aliæ artuum partes excrementis tertiæ coctionis secundum naturæ aut circulationis motum scateant semperq; ferè madeant, imò corrumpi circa has partes faciliùs humores: Hinc non expedire medicis, ut malignâ febri laborantium manus diutius contrectent, nisi sponte suâ contagio velint infici.* Donativo sive sostro me honorârunt, ut vel hoc nomine, quod ipsis ex probrem, non habeam. *Nec medicus gratis, sed condigna mercede præstita*

me-

*mederi tenetur, Joh. Harprecht, in Comment. ad Instit. Disp. XII. in supplement. Lit. h. Tum, quia nemo suis stipendiis militare cogitur, maximè divitibus. Gloss. in cap. I. verbo inferas, distinct. LXXXIII. Specul. in rubr. de Salar. §. postremo loco, IV. n. II. vers. quia sit infirmus. Tum, quia & ICtus justum consilium & patrocinium licitè vendere potest, nec gratis consulere aut postulare compellitur. Can. Non licet. LXIX. causs. XI. q. III. Speckhan. Cent. I. q. XXXIII.* Verum sciat hîc quilibet, *Medico, quà medicus, non rei, quam communicat, sed operæ, quam locat, pretium solvi: salus enim hominis nullo beneficio pensatur,* inquit, *Amm. Marcellin. lib. XIV.* Et audi, quam eleganter loquatur in hanc rem *Seneca l. VI. de beneficiis c XV. Emis à medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam, à bonarum artium præceptore studia liberalia & animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operæ solvitur, quod deserviunt, quod à rebus suis avocati nobis vacant, mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferunt.* Et *doctrinam,* de civili sapientia intelligebat, quò etiam meritò referas operam medicam, *pretio nummario æstimari non posse* dicebat *Ulpian. l. I. §. V. d. de extraord. cognit.*

## OBSERV. XXXV.

*XXI. Jul.* CUm jam per plures plateas malum disseminatum esset, vir quidam primarius & clarus ex paterna cura duos ex puellis suis extra portam aëris liberioris & purioris captandi ergo monialium committit curæ, ut sint securiores ab infectione. Non diu ibi subsistunt sanæ, verùm major natu de capitis dolore conquesta reportatur ad lares paternos, altero die sub utroque inguine in musculo, qui Triceps Anatomicis audit, sibi dolere dicit, contemplamur locum parvumque tumorem ibi palpamus, altè tamen adhuc latitantem, præscribuntur, quæ à tenello corpore bibi poterant, extusque ad evocandum quædam calide applicantur, dein itum ad vesicatoria est, qnæ manifestum auxilium attulisse visa sunt. Ejusmodi etiam vesicatoria tumenti loco imposuisse in Peste *Philippum* Ingrassiam legimus in ejus *opere* de *Peste* part. IV. c. XXVIII. pro ut eum citat *M. A. Severin. de Effic. medic. p. m. CCLIII.* Post applicatum Empl. diachyl. cum aliqua portione de Meliloto mixtum cum ol. Scorpion. vel Elix. pest. Croll. felicissimè successit brevique convaluit, sicuti & sororcula ejus, quæ brevi post simili modo decubuit, nec minus feliciter divinâ annuente gratiâ paucis restituitur integræ valetudini.

OB-

## OBSERV. XXXVI.

XXI. Jul.

VIrgo quædam ſtatim ab invaſione continuò vigilat, delirat per aliquot dies, nec quicquam vel Anthracum vel bubonum erumpit, illi ſudorifera omnia in caſſum offerebantur, nec tuto ὑπνωτικὰ ferebat, tertio vel quarto primum die vetula, quæ ipſi miniſtrabat, in inguine bubonem fortè conſpicit, quietior fit, ἀγρυπνία tamen illi valde moleſta adhuc erat, iterum delirium increſcit, paulo poſt carbo oboritur in brachio, mente aliquot dies non conſtat, dein paullatim adhibitis medicamentis alterantibus expellentibusque ad ſe redit, quam omnes non ſemel morti certæ addixerant. Medicamenta ſomnum conciliantia ſiſtere vel figere ſpiritus, & quaſi torpidos reddere ſtuporemque inducere in confeſſo eſt, ideoque iis abſtinere debet medicus, ubi expellere animus eſt. Cum vero ſudorem interdum ſoleant movere, præſertim opium, quod ἱδρωτικὸν eſt, cujusque ratione potius fieri, ſi quid ſingulariter præſtet in peſte Theriaca, exiſtimat Zvelfer. in Animadv. p. CCXXXII. quàm ratione inſignis virtutis alexipharmacæ, etiam initio turgente materiâ quandoq; cum fructu adminiſtrantur, tunc ſcilicet ubi rectâ medendi methodo progredi non licet, ut in deliriis & vigiliis efferis, verùm paucâ quantitate & admixtis alexipharmacis, uti Ego non ſemel in peſte hac ſum expertus. Ita meminit cujusdã pomi ſomniferi Ioh. Ludovic. Gottfriedt in Hiſtor. Antipodum p. m. CLI. cujus ſucci unica gutta ſæpe triduanum ſomnum inducit, quo finito ad hypercatharſin ferè usq; purgat.

## OBSERV. XXXVII.

XXIV. Jul.

ANcilla quædam leviter horruit cùm levi capitis dolore, carbunculi tres in crure oriuntur, hera anxia ſtatim artis noſtræ fidem implorat, conſiliumque meum expetit, ſvadeo, ut poſt ſudorem ſaphena incidatur, ex præſcripto peracta res eſt: altero die pejus habet, ſudat iterum ex voto, tunc plures in media corporis regione proveniunt carbunculi, confortatur medicamentis alteraturque, per aliquot dies malè admodum habet, evadit tandem. Eodem tempore & alia ancilla in prioris vicinia laborat acutè ſatis, carbunculos & bubones habet, mox eadem vena ſcinditur, ſuccedit phrenitis, vigiliæ continuæ, ad pluſculos dies lethaliter decumbit, & pro deplorata habetur, reſtituitur.

XXV. Jul.

## OBSERV. XXXIIX.

MArita cujusdam civis triginta septimanas gravidâ primipara dolore capitis affligitur, artusque omnes tremunt, præscribitur à Suppositorii operatione sudoriferum, quod ex voto cedebat, postea cordialia Alexipharmaca porriguntur, dolorem sentit in inguine, apponitur Empl. magneticum Salæ, de bubone nihil vel tangitur vel videtur, vires enim imbecillæ protrudere ipsum non valebant, tertio manè fætum excussit vivum decem præterpropter hebdomadis præpoperum. Statim à fætus exclusione optimè habens lætabunda & subridens me ad se visitantem porrectâ manu excipit, pulsus multum remiserat, ita ut omnes omnia in vado esse læti crediderimus, à meridie omnibus spectantibus nihilque tale opinantibus inopinatò æternum obdormiscit, absque ullo aliquo dato sui abcessûs signo. Heic παρεκβαίνειν paululum libet, & inquirere, utrum ipsum venenum caussans abortum penetraverit ad uterum ipsumque fætum? Et videtur omninò affirmandum, cùm Agens & Patiens mutuò se tangere debeant, aut certâ saltem distantiâ affici mutuò. Sed per quas vias eò devenit? & per vasa umbilicalia, & per lacteos ramos à *Pecqueti Receptaculo*, vel, quod idem, à *Glandulis lacteis Bartholini, vel Sacco Chylifero oriundos*: præprimis verò *per innumerabiles ramos lacteos ab Excellentissimo Antonio Deussingio Gröningensi per ligamenta uteri latos, ad ipsa cornua totumque uteri corpus decurrentes in catella fœta primùm observatos.* Dum verò receptum intra corpus venenum sentit uterus, insurgit ad id expellendum, fætus lacessitus, imò nonnihil fortè veneni grandior jam factus simul cum alimento ore, vel per umbilicalia vasa accipiens adjuvat istum motum, atque ita symptomaticè expellitur. Neque hoc, Fœtum scilicet in utero etiam ore ali, ἐν τῶν ἀδυνάτων est, uti patebit ex subsequentium Autorum testimoniis; quæ in hujus aut illius gratiam adducere fortè me non pœnitebit operæ. Et pluribus hoc argumenti genus prosecutus est *Cl. Bartholinus cap. X. de Lact. Thoracicis*, & prolixâ Epistolâ ad *Joh. Danielem Horstium Archiatrum Darmstadinum.* Imò notatum Harveio est, uterum propterea gravidationis tempore plurimis scatere vasis, quod per sola umbilicalia vasa haud nutriretur fætus, statuitque expressis verbis posse succum illum nutritiū per arterias uterinas delatum non minus commmode in uterum destillare, atque serum per arterias emulgentes in renes delabitur Nec abludit ab hac sententia *Hippocr.*, *cujus sententiam ab interpretibus hactenus neglectam scribit Bartholinus*, is enim *lib. de nat. Pueri* dicit, *Lac in uterum confluere ad Embryonis nutritionem idque attrahi in utero per os Embryonis.* Et *lib. de Carn. sive Prin-*

*Principiis compresſis labris ex utero matris tum alimentum ſugere, tum etiam ſpiritum, quia pueri cum in lucem prodeunt, ſtercus in inteſtinis habere conſpiciuntur, & ſimulac in lucem editi ſunt, tum homines, tum pecora, id iis per ventrem ſecedit. Atqui neque ſtercus haberet, niſi in utero ſugeret, neque ut primum puer natus eſt, ubera ſugere noſſet, niſi in utero ſuxiſſet:* Quanquam, an hæc genuina Hippocr. ſcripta ſint, maximè dubitetur, imo planè negetur. Quo argumento etiam uſi videntur *Democritus & Epicurus, ut Plutarchus lib. V. de Placitis Phil. c. XVI. teſtatur, dum utero ubera quædam affinxerunt.* Non tamen credam Democritum, qui ſui ſeculi maximus fuit Philoſophus, quemque *Hippocr. in Epiſt. ad eundem* ἄελφον φύσεως καὶ κόσμȣ ἑρμηνευτὴν, & ſubtilisſimus *Seneca nat. quæſt. l. VII. c. III. Subtilisſimum antiquorum omnium* nominant, vera ubera utero, famâ & quantitate noſtris in pectore poſitis reſpondentia, affinxiſſe, ſed potiùs per ubera intelligenda eſſe Acetabula, Cotyledones vel papillas, quæ ſunt vaſorum uterinorum oſcula in uterum hiaſcentia. Modum ſuctionis in nuper natis omnium optimè exprimit *Harveius* Anglicanum illud ſidus *Exerc. XXIIX.* his verbis: *Non enim recens natus infans papillam labiis comprimens ſugit, ut nos*, ſed quaſi deglutire vellet, totam in fauces usq; attrahit, linguæque ac palati auxilio, tanquam manducando lac emulget. Ulterius pro nutritione per os militat quoque, quod omnium primùm os apertum conſpiciatur cæteris meatibus clauſis, uti non ſemel in Peſte in abortibus notavi, & nuper in immaturo fætu excluſo, cujus os ſatis amplè diduci poterat, exactè mihi obſervatum, imò narravit mihi obſtetrix ſe apertum os vidiſſe in Embryone vix dimidium digitum longo. Et quod apertæ ad fætum dentur viæ docere nos poteſt *fætus is, ad quem expellendum mater Crocum quadrante dimidio ante partum aſſumpſerat, quiq; totus crocreus in hanc vitam deſcendit*, uti exemplum hujus rei narrat *Henr. ab Heer in Spadacrene c. XIV.* Non disſimile quid videre eſt in *Heurnii l. II. meth. ad Praxin cap. XIV.* Hiſce addendus vitulus nondum in lucem editus gramen digiti longitudine in ore habens à Cartheſio viſus. Non immeritò annumeraveris his Vagitum uterinum, licèt portentoſis iſtum fortè adjudices, qualem hîc Brunsvigæ non diu ante Peſtem hanc, quam deſcribo, ſe diſtinctè audîſſe in proprio utero narravit Sutoris cujusdam uxor, quæ etiamnũ in vivis eſt, ſed fætus iſte in lucem debito tempore editus non diu fuit ſuperſtes. Bina hujus Vagitus exempla habuit etiam *Bartholinus haud diu ante bellum Dano-Suecicum*, quanquam nec Ego cum illo hunc naturæ oſtentis tribuam, ſed naturalibus cauſſis, ut *Centuria I. Obſerv. I. multis probat. Infantis verò*, cujus meminit *Lud. Vives. in comment. ad Auguſtin. de Civ. Dei l. III. c. ult.*

*p.m.CCIV. Vocem in utero articulatam edentis clamantisq; IO.triumphe, Cosſ. Roman.Q.Fabio Max. & M.Metello*, exemplum merito referas ad prodigia. Sed diutius his immorari fortè ſit hominis fruſtra ſtudioſi, plura de hac materia legere qui amat, adeat Anatomicos. Καὶ μὲν ταῦτα ἐν παρόδῳ.

## OBSERV. XXXIX.

*XXVI. Jul.*

UT in muliebrem ſexum maximè tyrannus fuit peſtis, ita vix repereris ejus vafritiem indolemque tam multifariam in viris ac in mulieribus. Fæminis quandoque antevertit menſes, naturæ tempus non exſpectando, aliis fluentes tardat. Virgo XVII. annorum doloribus capitis infeſtatur, menſtrua ſecundum conſuetum naturæ curſum & legem currentia ſiſtuntur, comatoſæ inſtar jacet, nec vel acri ſuppoſitorio vel Clyſtere aut aliis ad diſcutiendum ſomnum excogitatis remediis expergeſit, facies fit cadaveroſa, altero die vomit, tertio profundiore adhuc ſomno oppreſſa ad beatorum ſedes delata eſt. Potius ex menſium repentino regreſſu ſive ſtatione rubere, & quaſi ex calore tumidæ debuiſſent apparere genæ, ut multoties tum tempore notatum. Credo & menſibus repentè objectum repagulum, & vim veneni narcoticam comatoſam attuliſſe affectionem, calor verò nativus à veneno ſuppreſſus ſui præſentiam in exterioribus membris non potuit præbere.

## OBSERV. XL.

*XXVI. Jul.*

NOnnemo pharmaceuticen edoctus peſte corripitur absque majoris momenti ſymptomatibus, ideoque levem illam judicans ſibi ipſi medicinam faciebat, ignorans protheum peſtem eſſe, ſcireque clanculum calorem noſtrum atterere, exque inſidiis cor noſtrum, arcem vitæ ſanguiniſque fontem & officinam invadere, & pulſo exinde calore ſimul animam exire jubere. Idem hic expertus eſt, falſus enim ſymptomatum lenitate ita viribus exhauſtus fuit, ut præ totius imbecillitate nec bubonem in inguine dextro latentem protrudere potis fuerit, nec fugere lethalia mortis ſpicula, altero enim à quo ipſum inviſi die, fatis ceſſit.

## OBSERV. XLI.

*XXVII. Jul.*

FErè iisdem, levi ſcil. capitis dolore, horrore & extremorum laſſitudine, corripitur accidentibus, quæ tamen vires non ita conterebant, Aurifaber. Perculſa uxor veneni latere aliquid haut fruſtra ſuſpicans citò ad me accurrit, ſibi opem ut feram, ſummopere petens.

Poſt

Post operationem ordinati suppositorii præscriptum sudoriferum sumit, à quo sudat per integrum diem & ultra, absque jactura virium. Circa vesperam iterum ipsum invisito, adhuc sudore tantùm non diffluit, dico, non decere ita strenuè sudare, ne simul cum sudore & animam profunderet. Patiens bono animo me esse jubebat, sibi nihil virium inde decedere, nolleque se naturam à laudabili opere avocare, saltem sitim multum negotii sibi facessere, ad quam restinguendam petebat remedium. Do Julapium, cui semper de sudorifero aliquo nonnihil erat immixtum, cum Spir. Vitriol. aut mixt. s. And. Altero die cutis adhuc madebat, sanumque se esse prædicabat. Sudor hunc sanabat, & inculpata corporis constitutio, quâ etiamnum bene vivit.

## Observ. XLII.

*XXVII. Jul.*

Secretarius urbis nostræ eximius, & emeritus ferè, profundiore obruitur somno, à quo non poterat excitari, vel acri clystere, vel capillorum vellicatione, vel alio quovis ingenio, non stertebat, nec Apoplexia erat, nonnunquam enim ad tactum clamoremvé sonum, haut intelligibilem tamen, dabat, cætera Apoplectico simillimus, excrementis alvi lectum commaculabat, nec oculos aperiebat, nisi ad vehementem acclamationem, in tertium diem ita jacebat, tandem nullo mortis dato signo in senio jam constitutus naturæ debitum persolvit. Notes hîc obiter, quod *August. lib. XII. de Civit. Dei cap. XV.* videatur phrasin hanc sive hujusmodi loquendi morem impugnare; statuit enim ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, quâ nullam homini mortem Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati, argumenti rationem putat esse hanc, quod homo, si non peccâsset, non fuisset moriturus. Huic sententiæ consentit *B. Thom. Aquinas*, & cum eo plurimi alii, aliis aliter sentientibus. *Lud. Vives in Comment. ad cap. I. hujus libri* sententiam suam suspendit, dum inquit; *Equidem quid factum sit, magno nostro malo nemo ignorat: quid fuisset, nescio an vel ipsi Adam ostensum fuit, quanto minus nobis misellis.*

## Observ. XLIII.

*XXVII. Jul.*

Vidua quinquagenariâ major multos experitur ructus, abdominisque distensionem cum aliquali corporis lassitudine, oscitatione frequenti & debilitate, non credens à pestilenti contagio se tactam uterinos saltem flatus, quibus aliàs obnoxia erat, incusabat, quam opinionem animo suo tenaciter inhærentem vix sibi eripi patiebatur, hinc aver-

aversabatur pestilentialia medicamenta, & saltim, quæ uteri flatulentiam corrigerent, sibi præscribi petebat, ipsaque domestica in hunc usum docta adhibebat remedia. Altero, aut, ni me fallit calculus, tertio demum die pustulam in sura accipit purpuream, dico pestilentem carbunculum esse, credit, ἀγρυπνία succedit & appentiæ prostratio, tuncque verè ægrotare se primùm animadvertens admittebat sudorifica Alexipharmaca, verùm ulterius nihil è corpore præter carbonem istum exibat, ideoq; accersito chirurgo internisque & externis debitè administratis curatur integrè, sed cum magno labore & periculo vitæ, ultra XIV. dies lecto affixa tenebatur.

## OBSERV. XLIV.

*XXVII. Jul.*

QUidam Cerevisiarum coctor, homo pauper & egenus, ἀνὴρ ἄβιος Luciano, *Herodoto* verò *in Vita Homeri* ἄπορος dictus, quā primùm sensit sibi malè esse, cum aceto sumit pulverem pyriū, quantum ad explosionem mediocris bombardæ sufficit, (hunc pulverem plurimi non sine fructu usurparunt) sudat egregiè, absterso sudore percipit in inguine & sub axilla bubonem, porrecto pulvere cordiali dataque, cum admodum sitiret, refrigerante potione brevi pristinam recuperavit vitæ incolumitatem. Apposita emplastra absceslus maturare inque pus vertere minimè potuerunt, sed sensim per ἄδηλον διαπνοὴν evanuerunt isti.

## OBSERV. XLV.

*XXVIII. Julii.*

ARithmeticus, nec rei architectonicæ imperitus, in urbis aggere operariis prospiciens aurâ blanda tepente nesciens quam mephytim advehente perflatur, statim domum properat meumque curat implorari auxilium. Invenio ipsum primo morbi accursu extremè languidum, sudore symptomatico è partib. superioribus erumpente viribusque continuò dilabentibus. Bubo jam erupturus propter succumbentem oneri naturam impossibile nobis erat protrahere, vixque in tertium diem emigraturam animam morari poteramus.

## OBSERV. XLVI.

XXX. *Jul.*

JUvenis XXVI. annorum εὔσαρκος & εὐεκτικός, &, si ex externis judices lineamentis, optimâ sanitate præditus (latet tamen sæpius sub tali pinguiculo corporis habitu viscerum κακοπραγία &

& labes) horrore corripitur & levi capitis dolore insequente plurimo & continuo vomitu eorum omnium, quæ assumebat, inquietudo, ἀγρυπνία, altero, aut ni fallor, ipso invasionis die urina nigricans excernebatur, quam mater ipsi adstans in vitro urinario eminus monstrabat, cominus enim tempore pestis urinam inspicere periculo non caret, & *tales urinæ tum viris, tum mulieribus pessimæ sunt, lib. II. Progn. §. XXIX.* Huic omnia medicamenta tum externa tum interna in cassum adhibebantur, tanta enim & tam cita erat humorum corruptio, ut omnem etiam optimè excogitatorum remediorum vím eluderet, atque succedente fluxu colliquativo tertio die corporis sui sarcinâ depositâ etiam hujus vitæ usuram deposuerit. Mirum, si hujus viscera tam bene constituta fuissent, prout externus præ se ferebat habitus, unde tam subita humorum ista corruptio & fluxus colliquativus, pessimusque urinæ color nativi ignis extinctionem indicans, certè impurum corpus erat & κακοχυμικόν. Verùm dices: si viscera malè vel in substantia vel in intemperie, cum, vel sine materia, affecta fuissent, unde pinguiculus corporis habitus, εὐσαρκία floridusque color, quæ omnia à puriore sunt sanguine, talis enim in externis solet apparere color, quales intus humores sunt. Constat ex hactenus rei medicæ Scriptoribus triplicem sive tres solemnes in corporibus nostris celebrari coctiones: prima fit in ventriculo, cui in ore præparatur cibus: altera in Epate, tertia in partibus extimis, venis, arteriis habituque corporis. Hinc celebre illud axioma medicum: Erratum primæ coctionis non corrigi in secunda, nec hujus in tertia, hoc axioma notum est etiam non medicis, creditumque hactenus firmiter. Verùm cum hodie longè alia sit facies rei medicæ, præsertim Anatomicæ, seu potius Physiologicæ, quæ eò sedulâ, accuratâ, & frequenti dissectione corporum processit, ut vix amplior ad ipsam accessus sperandus, liquet sanè dogma illud non usque quaque verum, cùm nec omnis, nec semper, imò minima Chyli portio ad Epar meet, ut dilucidè apparet ex Anatomia, præsertim ab iis instituta, qui ex accurata & toties repetita sectione hodie clarent. Corruit igitur omnis illa hypothesis, & omne illud, quod super ipsa struitur, nimirum hærente vitio in visceribus naturalibus, imposibile esse bonum & laudabilem corporis habitum ex suppeditato vitioso ratione originis, sive in ventriculo sive Epate, contractæ alimento pronasci: Et bene constitutis visceribus non posse non semper adesse εὐσαρκίαν corpusque εὔχροον.

Nonnunquam & sæpissimè ita licet argumentari, at non semper, & concedamus ita diversimode coqui & præparari in corporis alimoniam assum-

assumptum alimentum, non tamen vel sequitur hinc omnes subcutaneas affectiones, ut scabiem, ulcera, &c. semper (licet interdum & sæpe hoc fiat) à prava viscerum διαθήσει aut vasorum obstructionibus oriri, tollique non posse his non prospectis, uti multi practicorum magnum errant errorem, sæpèque in ejusmodi malis corrigendis hallucinantur, dum scabiosos suos multis vexant modis, purgando toties scilicet, obstructiones solvendo, temperiem viscerum corrigendo, sudando & quicquid non moliendo in innocuis visceribus corrigendis, cùm potius omnis ad cutem vertenda sit opera, etiam vel ex ipsorum mente. Si enim coctio quædam fit in cute subtusque eam, ut revera fit, & omnis coctio perficiatur beneficio ignis nativi, partisque, in qua fit, bona constitutione & temperatura, sequitur omnino, si cutis & subjecti musculi laborent intemperie quadam, calor cutis sit justo debilior, aut excedat naturalem constitutionem, anastomoses arteriarum venarumq; capillarium obstruantur, cutisque facultas alteratrix depravetur, adeo ut, qui bonus sanguis in partem influit, is statim in eum humorem convertatur, quo pars est vitiata, secundum Heurn. in Comment. Aphor. Hipp. sect. III. Aph. XX. quod tunc sanguis subcutaneus ventilatione prohibita reddatur impurus, quodque cutis alimentum proprium in naturam suam non possit convertere, sive hoc fiat per nudam sanguinis alterationem, sive per excrementorũ sequestrationem. Hinc malam fieri in cute coctionem, vitiosam partium ipsarum extimarum nutritionem, excrementa in & sub cute collecta non debitè expurgari, serescere, & corrumpi, quæ retenta non possunt non variis modis cutem deturpare omnisque generis in ea affectus procreare salvis penitus visceribus naturalibus & sanguine eò appulso laudabili. Interim omninò fatendum cum *Hoffmanno Comment. in Gal. de Us. part. XIV. VII. no M. IV.* quod Cutis luat peccata viscerum omnis generis excrementa (quandiu pollent facultate expultrice) ad illum deponentium. Quî fit, quæso, quod oves sæpe præpingues sint & ἐυσάρκαι, quarum tamen Epar siccum visitur, hydatibus & calculis refertum? Et quî fit, quod multis detrahatur sanguis laudabilis colorque corporis bonus sit, quibus tamen viscera fere sunt putria? Contra illaudabilis & sanguis & corporis color est, quibus viscera sanissima? Eleganter in hanc rem commentatus est *Thevart. in Annot. suis ad Ballon. Epid. & Ephem.*

OB.

## OBSERV. XLVII. 

I. Aug.

OPerarius quidam laborat peste, bubonem habet, aliquot dies decumbit, melius postea habet, surgit, obambulat, ex improviso phrenitide corripitur, vigiliis diuturnis, parietes perfodit, & ne violenter homines invadat, vimque ipsis inferat, à quibusdam militibus custoditur. Tunc primùm meum petitur consilium, præscribo internè & externè soporifera, placidior fit, altero die moritur. Non vidi hominem, forsan non discussum satis venenum fuit, & versum ad caput phrenitidem excitavit lethalem.

## OBSERV. XLIIX.

II. Aug.

FÆmina gravida. quæ VII. Julii periculosè decumbebat, abortumque patiebatur, post absolutam curationem retinuit bubonem in inguine in hunc usque diem. Dum fortè ædes ipsius prætereo, vocor, monstrabat mihi bubonem sponte maturatum profundentemque magnam affatim puris copiam, præscriptis, quæ apertum servarent abstergerentque illum, brevi integrè convaluit, etiamnum optimè vivens. Dissipatis partibus tenuioribus, sive per sudorifera sive per topica discutientia, multis longo tempore ejusmodi tumores remanserunt absque omni malignitate, quæ postmodum de novo coctionem sive naturâ sive arte facile admiserunt.

## OBSERV. XLIX.

II. Aug.

VIr sanguineus, in ipsa ætatis ἀκμῇ constitutus, corripitur doloribus capitis, lassitudine & torpore quasi omnium membrorum, adhuc obambulat, nec lecto fixus tenetur, in tertium usq; diem, in inguine bubo conspicitur, ab alio curatur, post tertium diem secatur vena increscit morbus, ita ut lecto se committere necessium habuerit, tunc & Ego in consilium adhibeor, culpant venæ sectionem, quæ in has angustias ipsum conjecisset, sequentibus diebus anthraces erumpunt in diversis partibus, etiam ipso pene, tres hebdomadas periculosè laborat, mens semper constabat, elapso illo spatio ambiguum hoc tandem feliciter enavigat æquor, quo submersa miserè jam viderat

*sui pignora chara thori,*

unico saltim filio charybdim hanc ad tempus evitato, qui cùm in aliud domicilium, à peste adhuc purum, ne & hæc unici gaudii scintilla extin-

gueretur, ire consultum videretur, ibi in ipsam scyllam postea incidit, uti
patebit observatione CXIIX.

## Observ. L.

*III. Aug.*

QUinque plus minus annorum puella multum dormit, in Vertice
carbunculus erumpit multam saniem profundens, nunquam lau-
dabile pus conspicitur. Pone aurem sinistram rubra oritur ma-
cula oblonga parum elevata, Parotis erat. (Parotides admo-
dum paucæ fuerunt & raræ.) Protrusâ paululùm parotide discutitur
somnus, levius videtur ægrotare, inopinatò tamen leges subit fatales.
Quod Parotis glandularum retrò aures inflammatio sit, notius est,
quàm ut multis id inculcare sit necessum. *Hippocr. VI. Epid. Comment.*
*V. t. I.* vocat ἐπάρματα. *Celsus*, latinus ille Hippocrates, *dicit eam Ab-*
*scessus esse genus l. VI. c. XVI.* *Holler. de compos. medicamentor. sec. loc. p.*
*m. LXXI.* statuit esse *Abscessus glandularum, sed auribus sæpe numerò pesti-*
*lentes.* *Paræus l. V. c. X. sua Chirurgiæ* dicit, *Parotides esse à natura eo loco*
*conditas, ut materiam virulentam & malignam cerebri robore depulsam exci-*
*piant, venis & nervis eò loci diffusis* : & *lib. VII. c. III.* cerebri *Emuncto-*
*ria* nominat. Quod in capitis dolore cum sopore nonnunquam paro-
tis protrudatur dudū nos docuit *Hippocr. I. Prorrh.* fine: Ἐν κεφαλαλ-
γίῃ κῶμα καὶ κώφωσις παρ' οὖς τι ἐξερεύγεται, *in capitis dolore sopor &*
*surditas secundum aurem quid eructat.* *Præsagia Parotidum* multa habet
*Hippocr. variis in locis, in Prorrh. Coac. Progn. libris Epidemior.* *In Prorrh.*
ita loquitur: *Tumores circa aures maximè ex acutis in febribus ardentibus*
*fiunt, si morbum non solvant neque maturent, aut ex naribus sanguis fluat, vel*
*urinæ deponant sedimentum crassum, moriuntur.* *In Coac.* *Quibus tumores*
*circa aures facti non suppurantur in ardente febre, hi non valde servantur.*
Plura de Parotidibus qui avet legere adeat *M. Aur. Severinum incompa-*
*rabilem Medico-Chirurgum Neapolitanum* in verè aureo suo libro *de recon-*
*dita Absceß. natura, & de Effic. medicina.*

## Observ. LI.

*III Aug.*

POstridie eodem affectu afficitur ipsius puellæ Mater, tibia carbuncu-
lo notatur, & inguen alterum bubone. Primo die ad medicamen-
ta bene habet, ut spes esset reconvalescentiæ. Postridie labuntur vi-
res, λειποθυμίαι succedunt, stragula non poterat ferre, delira lo-
quitur, vomit, carbunculus ad nigredinem vergit, moritur.

OB-

## Observ. LII.

IV. Aug.

ALtero morbi uxoris die incipit etiam malè habere & maritus, deque brachii dolorosa & difficili motione multum conqueritur, nihil tamen tactu deprehenditur vel visu. Subesse bubonem brevi sui præsentiam manifestaturum non poterat sibi imaginari. Altero die bubo apparet multum negotii facessens in brachio, nec enim maturationem nec discussionem admittebat, hinc multus dolor ad brachii motum, continuo lecto non inhærebat, nec volebat, etiam jussus, ut rectiùs medicamentis uti potuisset, verùm ob animi partim ex repentino uxoris filiæque obitu, domesticorumque adhuc decumbentium calamitate mærorem, partim ob dolores acerbos certo se loco continere non poterat, brachium erat inflammatum, & si pestis non sæviisset, verum erysipelas esse judicasses. Sensim tandem evanuit bubo, pristinæque restitutus est incolumitati.

## Observ. LIII.

V. Aug.

PUella XIV. annorũ, ἐρώτων adhuc ἀμύντος, quam *Hesiod.* ἔργων β. describit, ὄυπω̃ ἔργ' ἐιδυῖα πολυχρυσου̃ Ἀφροδίτης, lethargo obruitur, vix poterat excitari, saltem ut unam alteramve præscripti medicamenti portionem sumeret, momento relabebatur in somnum profundissimum, lectum commaculabat, bubonem in inguine gerebat, omnis medela frustra adhibebatur & cura, nulloque ingenio somnus dispelli poterat, ideoque Deo & naturæ committebatur. Adjacebat ipsi ancilla, quæ non ita periculosè decumbere visa est, illa priori ordinata medicamenta libenter sumebat, verùm brevi mortem oppetiit, quam ipsa puella præstò stantem operientemque clausis oculis neglexit, ipsiusque spicula Dei beneficio elusit quidem hâc vice, verùm integram non recepit sanitatem, sed languida & in statu neutro annum vixit, postea pectorali morbo oppressa ex hac maiorum Iliade erepta est.

## Observ. LIV.

V. Aug.

JUvenis robustus pistor malè habet, primum domestica experitur remedia, altero die vocor in auxilium, præ calore anhelantem offendo ipsum cum insigni faciei rubore somniique vacuitate, secatur vena, alvus obstructa est, suppositorium, Clysteris usu propter continuum & inordinatum motum prohibito, applicatur, nihilo melius habet, sed hinc inde in lecto se versat, calor increscebat, corpus ad genua procidebat.

 cu-

cubitus figura erat, quam semper in malis ducit *Hippocr.* Hic robori suo fisus initio monitis se non accommodabat; Et mirum, quod largiter per sectam venam effuso sanguine nec calor, nec color remiserint, forte tenuior sanguis accensus per phlogosin quandam exteriora petiit continuitatem fovente καύματι in alta putredine latente, quam tum nec evacuare, nec quovis modo removere poteramus.

## Observ. LV.

*VI. Aug.*

PRimarii cujusdam civis, cujus Obs. XLIX. memini, servus, quando sensit se tactum contagio, citissimo pede & indesinente cursu ex urbe se proripit, & ad proximum pagum civicæ ditionis ab urbe nostra octo stadiis, sive passibus, aut ad minimum uno lapide distantem tendit, à cujus incolis, ex delirante inconstantique sermone, ipsum peste laborare, suspicantibus, cum repelleretur, haud segnius tardiusve regreditur vel potius recurrit, quàm eò iverat. Appropinquantem portæ milites nostri præsidiarii ingressu prohibent dicentes, se, exiisse ipsum, ignorare; verùm instanter ingressum sollicitans intromittitur, & currendo lassus morboque lecto se committit. Mox plurimi Carbunculi erumpunt in brachiis, femoribus, dorso & aliis particulis, majorem tamen partem dextri lateris, ut plures non viderim in uno subjecto toto hoc tempore, appetitus ferè integer persistebat. Hic ægrotus aliquoties horrorem mihi incussit non levem, cùm enim indies herum ipsius, dominam & liberos inviserem ægrotantes, sæpe inopinatò ipsum in domus area nudè sedentem levi lineo panno ab altero saltem latere tectum offendi, altero latere planè nudus erat, ibidemque ulcera sordida & profunda ex carbunculis nata mundabat obligabatque Chirurgus, quo positu, & qua corporis figura spectrum præsentabat ipsumque Lazarum fædis ulceribus scatentem. Satagens cursu isto abigere conceptum virus excussit id omne in exteriores partes, quod inde facilè colligere est, quod edendi desiderium vix imminutum fuit, nec de alio aliquo symptomate conquestus est sanusque brevi evasit. Illud tamen currendi studium & conatus, aliis nil profuit, sed attulit exitium potius, ut patebit in sequentibus.

## Observ. LVI.

*VII. Aug.*

VIr Juvenis uxoratus optimæ constitutionis & robustæ corripitur carbunculo ad mammam sinistram magno, ægrè maturatur & vix longo tempore mortificata caro abscedit, dolor multus aderat, & virium defectus, evadit tandem. Contra ipsius uxor duos menses gra-

gravida non ita viribus dejiciebatur, cum tamen tres carbunculos in abdomine & quartum ad mammam dextram habuerit, qui aperti postea sponte sanati sunt, quatuor bubones in inguine & sub axillis latebant, qui naturæ ope discussi omnes sunt, nec incommodum ullum uterus inde sensit, cum tamen ex *Galeni simili lib. IV. Aph. Hippocr. I.* nondum firmatus Embryo levi occasione ejiciatur.

## OBSERV. LVII.

CIvis, cujus conjux & aliquot liberi peste extincti erant, cum in alterum diem jam decubuisset, me curat accersiri, cum ingredior ædes hujus, eas satis spatiosas ventisque perflabiles invenio, unde mihi multum gratulor. Verùm dum ægrotantem mihi ostendi postulo, ducor ab ejus agnata (quæ & ipsa peste laboraverat, carbunculumque adhuc in crure, unde claudicabat, sordidis linteis obligatum habebat, quæq; calce suâ nares meas, dum scalas ascendendo præibat, ferè feriebat) in cubile tenebrosum, in quo vix erectus, cum tamen proceræ staturæ non sim, stare poteram: offendo illum valde anhelantem & anxiosum, quærebatur multum sibi dolere inguen alterum, non potui inspicere locum affectum ob denegatam luminis externi usuram. Fortè retrospiciens duos alios in opaco illo & incongruo cubili decumbentes video, de quibus nullum, cum vocabar, fiebat verbum, maturo abitum, cumque altero die ipsum inviso descendit in aream suspicans, quod res erat, me aversari ipsius lectum, contrecto inguen dolens, bubonemque parvum admodum altèque latentem observo, apponitur emplastrum attractivum, nil proficitur, vires sensibiliter decrescunt, propter cordis anxietatem sudor nullus poterat evocari, circa vesperam moritur, atque ita universa domus inhabitatoribus suis privatur, & ad unum omnes Charontis cymbæ inferuntur. Cum quærerem cur non in alio magis luminoso tabulato ipsi lectum stravissent, respondent hoc ideo factum, ne tota domus, & præcipuè inferior ejus pars veneno inficeretur, existimantes venenum non deorsum sed potius sursum tendere. Quod utique verum est, si sibi relinquitur venenum, quia tenue & leve est, facileque ad aëris motum sursum fertur: verum cum admiscetur corpori cuidam, nil obstat, quin deorsum vergat. *VII. Ang.*

## OBSERV. LIIX.

VII. Aug. QUidam Organista corpori suo ægrè esse sentiens extra portam, nova quæ vocatur, exspatiatur, sive discussurus, quod clam, sive inscius, conceperat virus, vel animi mæstitiam aëris mutatione temperaturus. Ibi cubans ægrius habet, paulatimque altius se insinuando contagium vires ejus sensibiliter incipit atterere, ita ut pedibus suis diffidens ab aliis domum reduci opus habuerit. Quod miserum spectaculum cum videt fortè quidam Senior ex Coss. nostris, νῦν ἐν ἁγίοις, ita terrore percellitur miserabili noti sibi viri incessu, misericordiâque tanta afficitur, ut continuò tremerent membra ejus, linguâ tremula loqueretur, & præ lacrymis vix verbum proferre quiret, omnes hunc eadem labe etiam inquinatum putabant. Dum adsto huic medicamentaq; salutaria præscribo, citò vocor ad dictum Organistam, quò cum venio, offendo illius artus omnes tremulo motu agitari, linguâ balbutiente vix animi sensa efferri, carbunculum in pectore & bubonem sub axilla, neutro tamen salutare de sese signum præbente, vigiliæ aderant, & vires sensibiliter collabebantur, tertio die moritur. Inconsultò sanè hic & intempestivè otium suum in exspatiandi studium vertebat bonam partem veneno jam oppressus, nec novi quenquam, qui vel citissimo cursu, vel alio modo in liberiore aëre se exercendo conceptum virus dispulerit inhærentiaque pestis spicula ejecerit manente animâ, excepto unico illo, cujus Obs. LV. meminimus, qui tamen ægerrimè & quasi miraculo periculosum hoc syrtium æquor enavigavit feliciter.

## OBSERV. LIX.

VII. Aug. FIlia octo aut novem annorum peste laborat, curatur sedulò, ita ut pestem superâsse non dubitaretur, languida tamen manet cum ἀσιτίᾳ & tussi indefatigabili, ἀτροφία succedit insuperabilis cum multo sputo, febris lenta, ut veram phthisin dixisses, abstergentibus humectantibusque secundum *Hippoc. Aph. XVI. s. I.* intus & extus res agitur, nil proficitur, fluxu alvi tentatur, tertiâ aut quartâ hebdomada moritur. Hujus interiora procul dubio ita corrupta veneno fuerunt & à naturali temperie dejecta, ut in integrum ea restituere extra artem putes.

OB-

## OBSERV. LX.

VIII. Aug.

VIdua anus duri & compacti habitus, & cujus *de meliore luto finxerat præcordia Titan*, decumbit bubone sub axilla finistra parvo, non multum angitur eo, saltem de dolore brachii conqueritur & aliquali cordis compresſione, ſolis alterantibus venenumque peſtiferum peculiariter reſpicientibus ſanatur, cùm ne gutta ſudoris præ corii denſitate poſſet elici. Contra Filius in prima juventute conſtitutus tam citò viribus exſolvitur, faciesque omnem nitorem amittit, ut nec tertium diem ſupervixerit. Ita idem diverſimodè agit venenum pro corporis conſtitutione & ſuâ ipſius naturâ.

## OBSERV. LXI.

IX. Aug.

JUvenis inculpatâ ſanitate corporisque robore eximius, cùm meſſis hoc tempore fruges demeterentur in horreaque deveherentur, de dorſi ſive vertebrarum ejus, neſcio quâ dislocatione, ex nimis alta faſciculorum in ſublime ſive altiorem contignationem porrectione orta, conquerens omnem ad dorſi repoſitionem curam dirigit, & ni fallor, pedibus dorſum ſuum calcari, ut nonnullis in more poſitum ſcimus, permittit. Cùm nec ſic malum miteſceret, multò minus concepta labes infringeretur, actutùm vocor, invenio ipſum in magna cordis anxietate, ſeque in lecto hinc inde indeſinenter motitantem. Examinatis examinandis peſte ipſum laborare pronuncio intrepidè, quo pronunciato omnes adſtantes conſternebantur, rati actum eſſe de ipſius ſalute, quod nimis diu protraxiſſent veram veri morbi medelam, ſe miſerè falſos eſſe ipſius confesſione. In corpore nihil vel Abſceſſuum vel macularum notabatur, ſuppreſſa erant omnia. Huic absque dubio venæſectio & ſudatio initio maximè ex uſu fuiſſent, ut natura oneris parte levata faciliùs reliquas noxas potuiſſet expellere, nunc autem eam ſecare nefas duxi, tum propter virium exolutionem ſubitam anxietudinemque, tum propter perpetuam inquietudinem & motum irrequietum, tertio die fatis ceſſit.

## OBSERV. LXII.

IX. Aug.

NOn ſemel obſervavi, Pueros peſte correptos ſimul Epilepſiâ tentari, quorum quosdam evaſiſſe periculum, quosdam autem ipſo inſultu extinctos novi. Hoc diſcrimen notes, medice; Cum initiò ſtatim comitem nanciſcitur concepta labes Epilepſiam, non tam

fu-

funeſtum ſignum eſt, ac quæ protracto morbo inſurgit: hæc quantum Ego recordor, ſemper lethalis eſt, illa ut plurimùm terminatur ad ſalutem. Num, qui primùm ſtatim invadit epilepticus inſultus motu ſuo concusſivo diſterminat conceptum virus disjicitque? Contra qui procedente tempore ſuccedit interitum affert venenoſo halitu ſive vapore cerebrum feriente altiusque jam corpori inſinuato, quique ob longiorem in corpore moram viribus ægri fractis ægrè ſe hoſpitio ſuo ejici patitur. Puer IV. annorum non ita periculosè ægrotare putatur, carbunculum habet & bubonem, propinantur, quæ teneræ ætati præſcribi poterant, ſuppoſitorium adhibetur, altero die epilepticus fit, tertio manè exſpirat.

## OBSERV. LXIII.

*X. Aug.*

Rerum eſculentarum, & quæ his ſubſerviunt, mercator cum multo vitæ diſcrimine decumbit, ſomnus profundus per multos dies, carbunculi plurimi in corpore hinc inde ſparſi, bubones, quaſi ἀναίσθητος eſt, nihil loquitur, rerumque omnium immemor. Pro deplorato habitus eſt ab omnibus, verum longiore decubitu (per aliquot enim ſeptimanas ægrotavit, & vix verbum protulit) tandem evaſit intentatum periculum. Eodem tempore & ejus ancilla laborat graviter, tumultuatur dies noctesque, canit, vociferatur, delira & facit, & loquitur, bibit multum, moritur. Marito nondum planè reſtituto de ingenti capitis dolore & nauſea conqueritur ejus uxor, parvum ſub axilla tumorem nanciſcitur, multum & continuò ſudat, non arte, ſed naturâ & vi morbi, & tantum non diffluit ſudore, verum eo nihil juvatur, anguſtia cordis indies increſcit, tertio die ad exitum vitæ vocatur.

## OBSERV. LXIV.

*X. Aug.*

Maritus Juvenis bubonem in inguine dextro habet, carbunculum in pectore, altero die & penis eodem notatur. Anthrax in cole ipſi nobisque multum faceſſit negotii, majorque ipſi inde dolor ſuccrevit, in pectore, qui erat, ſponte evaneſcebat, bubo vero tardè maturitatem adeptus eſt & ſanationem. Hoc ſingulare erat, eruptis carbunculo & bubone in pectore non ceſſavit vehementer inſtare morbi vis & ſævitia, conſpecto verò in glande virili parvulo tuberculo, cujus eſchara tanquam pyrotico inuſta videbatur, illico urgentiora remiſere ſymptomata, lectoque relicto reliquam curam obambulando peragi facilè ſuſtinebat. Ita tantillum vel humoris vel vaporis corrupti tam ſæva

poteſt

potest inducere symptomata, imo mortem ipsam. Ita sæpe parva pustula in labio integrè solvit intermittentem febrem, quæ alias remediis etiam artificosè exhibitis cedere recusat.

## Observ. LXV.

XI. Aug.

Mulier, ex stoicorum familia, familiarem ipsi nimis auri sacram famem si excipis, oriunda, omnibus liberis peste extinctis unicum adhuc filium superstitem, juvenem robustum, domo suâ infectâ, ut servetur, jubet exire, fratrisque ædes veneno adhuc intactas petere. Dicto audiens filius, elapsis paucis diebus (sive quod attulerit venenum ex propriis ædibus, sive quod primùm infectus fuerit, prius tamen probabilius) in istis puris ædibus somno opprimitur tam profundo, ut XIII. hujus primùm excitatus sit. Est ejusmodi somnus funestus sæpe secundum *Hippocr. s. II. Aph. I.* Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον. Expergefactus de inguinis dolore queritur, ibique bubo conspicitur tangiturque, iterum obdormiscit, alvus planè obstipata est, propterea Clysterem injicere erat animus, verum cum id sentiret etiam somno occupatus, continuo corpus datâ operâ volvebat, ideoque ab incæpto desistere cogebamur, multũ agitabatur ventriculus singultu, quẽ *in talibus morbis malum pronunciat Hippocr. s. V. Aph. III.* de aliis gravioribus symptomatibus planè liber. Sequenti die narium succedit hæmorrhagia tam larga, ut nullo ingenio potuerit vel sisti vel coerceri effrænis sanguis: à veneno enim intus quasi concluso ex insolenti somno, sanguis erat corruptus fibrisque suis, quibus quasi stamine robur & consistentiam suam habet, orbatus screscebat, & quâ data porta ruebat effundebaturque. Potuit & acrimoniam sanguis ex biliosa evaporatione, quâ ora venarum arteriarumque aperuit, acquisivisse. Facilitabat hunc fluxum etiam sanguinis abundantia, quæ pravitati juncta potissima hujus funestæ hæmorrhagiæ erat caussa. Num hîc καυσίωσις φλεβῶν *Hippocr.* dicta locum habet? Fortè huic venæ apertio, cum plenitudine ad vasa sanguis peccaret, initio multum profuisset, verum videtur ἀλόγως καὶ ἀμεθόδως hæc celebrari, corpus ubi alto somno sopitum jacet, ob sanguinem impetuosius fluentem secabatur tamen, ast nullo commodo, cum sanguine enim & ipsam effudit animam hæres aliàs magnarum opum unicus futurus.

## Observ. LXVI.

XI. Aug. *Somnus & Vigilia utraque modum excedentia malum portendunt*, inquit *Hippocr. ſ. II. Aph. III.* qui Aphorismus toties hoc tempore veritatem nobis exhibuit. Juvenis viginti præter propter annorum prioris cognatus itidem longo ſomno detinetur, ſed non gravi, (Gal. hic diſtinguit inter ſomnum gravem & longum, ille, qui difficilem habet expergefactionem, hic, qui ſolùm tempore excedit modum naturæ convenientem, & nondum habet difficilem expergefactionem.) ut prior, nonnunquam aperit oculorum valvulas adque interrogata reſpondet, jactatur valde, delira loquitur, in inguine bubo eſt, ſtatim initio vena tunditur, nil proficimus, mens non redit integrè, nec bubo ad maturitatem tendit. Cur huic nares non ſtillant ſanguine ſicuti ſuo cognato? Num tanta non fuit humorum & ſanguinis corruptio? Num venæſectio temporiùs adhibita ſanguinem ſtitit? nihil tamen remiſêre ſymptomata ſectâ venâ, delirium ſomnus non ſedavit, & id malum ex Hippocr. ſententia *ſect. II. Aph. XII. XV.* hujus moritur magno parentibus ſuis poſt ſe relicto deſiderio.

## Observ. LXVII.

XI. Aug. Ad mulierem conſtantis ætatis vocor tertio vel quarto ab invaſione die, invenio ipſam anhelantem, facies rubebat, mens minimè vacillabat, de ſummo calore & cordis anxietate conquerebatur, erecta adhuc in lecto ſedebat, nec ullum aliud grave accidens paſſa erat, ipſa eâdem nocte moritur. Ita ſui cuique mores fingunt fortunam, medicamentorumque vel neglectu, vel tardiore uſurpatione multi admiſerunt in præcordia hoſtem, quem poſtea ejiciendi poteſtas vel nulla vel certè ambigua fuit. Huic venæſectio ſine dubio maximè profuiſſet, quanquam enim primariò non indicetur ſanguinis miſſio, ubi tamen plethora eſt, & ſanguinis abundantia, impetuoſiusque ſurſum rapitur, ſæpe cum fructu in principio eam adhibitam obſervatum: Verùm prudenti εὐστοχία hic opus eſt, aliàs præſtat ἀπέχειν.

## Observ. LXIIX.

XI. Aug. Puella quatuordecim annos nata leviter tangitur hoc malo, manus pedesque inſtar veræ ſcabiei parum humidæ infeſtantur. Generoſiora medicamenta, cum omnia pacata eſſent, nolui præſcribere, ne irritarem crabrones, temperatiora ſudorifera laudabilem effectum ſor-

ſortiebantur, & alterantia frigidiora, quia multum ſitiebat, non ſine fructu aſſumebat. Tertio die veros carbunculos in pectore accipit & brachiis nulla graviora ſecum adferentes accidentia, quàm inextinguibilem ſitim, aliud nil patitur, quod memorare multum attineret, poſt XIV. dies primùm convaleſcit.

## OBSERV. LXIX.

CHirurgi cujusdam famulus robuſtus notatur bubone in inguine magno, dormit aliquot dies, plurimus calor adeſt, quod mirum, citius enim vigilias inducit, mittitur ſanguis, á longo ſomno delirat, maturatur abſceſſus, rumpiturque, poſt quartam ſeptimanam ad conſolidationem pervenit, ægerque liberatur. In eisdem ædibus eodem tempore tres liberi maſculi laborant, omnes corpora ſua plurimis liveſcentibus maculis inſtar petechiarum funeſtarum defædata habebant, major natu etiam carbunculum in fronte gerebat, ante mortem mutato livore maculæ rubræ evasêre pulicum morſibus haud abſimiles. Contrarium tamen fieri oportuiſſet, ſiquidem lividus color caloris naturalis ferè victi indicium, rubor vero vincentis eſt. An evanido colore livido rubræ maculæ de novo per fermentationem denuò excitatam productæ ſunt? credo. *XI. Aug.*

## OBSERV. LXX.

MAtronæ conſtantem ætatem egreſſæ Filia natu major carbonem accipit in dextro brachio, quo admodum torquetur doloremque urentem ſentit in parte obſeſſa, multæ adſunt profundæ putredinis notæ, æſtuat, ſupprimitur alvus, quæ tamen ſuppoſitorio indito facilè ſolvebatur, ægræ mentis argumenta nulla, maximum, & quod brachii dolorem obſcurabat, erat cordis anxietas & compresſio, exprimebat quidem coanguſtatum Cor largè ſudorem ex partibus ſuperioribus, ſed is, ut ſudor particularis, pro malo ſemper habetur, in morbis præſertim malignis & contagioſis. Moritur. *XII. Aug.*

## OBSERV. LXXI.

PUella VI. vel VII. annorum ſupra humerum dextrum, ubi clavicula eſt, parvum tumorem rubentem & ad tactum dolentem habebat, non admodum acutè ægrotabat, convulſivis motibus agitabatur, ad pauculos dies ſuperſtes eſt. Uno autem atque altero ante obitum *XII. Aug.*

 die

die relicto humero juxta aurem se contrahens tumor veram parotidem οἴδημα παρὰ τὰ ὦτα *Hippoc. vocatam* efficiebat. Ambigas hic, utrum bubo fuerit hic tumor & ἀπόστασις, an vero carbo: escharam, quae ab adusto humore est, non habebat, quâ tamen distinguuntur ab aliis pestilentibus tumoribus carbunculi, nec bubo videbatur esse, quia isti in locis adenosis erumpunt & emunctoriis, neutrum in humero reperire est. Verum quidem est, ut plurimum imò ferè semper istis in locis bubones conspici, quandoque tamen & aliis partibus erumpere non semel pestilenti hoc tempore observavi, uti postea monstrabitur.

*XII. Aug.*

## OBSERV. LXXII.

VIr sexagenario major obesus corripitur eodem hoc malo, statim ἄφωνος fit & ἀκίνητος, trunci instar jacet & fulmine tacti, non stertebat, sudabat, sed non criticè, exprimebatur sudor ex oppressione spirituum vitalium denegatoque liberiore aëris inspiratu & exspiratu. Ita Apoplectici saepe sudant propter altam respirationem commeatuque sanguinis spirituumque in arteriis carotidibus obstructo. Hic hujus Cari caussa fuit narcotica veneni vis spiritus animales torpidos & ad actiones sensuum ac motuum ineptos reddens: Quid si huic in aetatis declinatione secta fuisset vena? ut in senibus apoplecticis non sine ratione factitamus: ἐς τὰ γὰρ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται. *Hippocr. s. I. Aph. VI.* Praecipitâsses aegrum in praesentissimum periculum, quod etiam ex neglecta venaesectione non effugit, insequente enim nocte nil nobis proficientibus diro morbo succumbere coactus est. Vires huic Seni non constabant, nec ad dispellendum superandumque venenum sufficiebant, nihilque fecisset medicus aliud, nisi, ut, nobile aliàs remedium, apud vulgus diffamâsset, licèt, qui ex artis praescipto & methodo curat, hoc non debeat curare, sed opponere potius illud Capivacci, (si recte memini) qui, cùm venam aegroto secari jussisset, & adstantes dicerent, *domine Doctor, ager morietur*, respondit, *moriatur ergo secundum artem.*

*XII. Aug.*

## OBSERV. LXXIII.

JUveni robusto viginti trium annorum erupit cum horrore sub axilla sinistra bubo, satis protuberat, mox & ad colli dextram partem similis tumor parum dolens exsurgit, qui subjectas partes, musculos, tendines & adjacentia vasa tam arcte radicibus suis complectitur, ut ad latus ca-

caput movere aut inclinare ipsi fuerit ἀδύνατον: constans tamen Juvenis & intrepido animo mæstos solabatur parentes morbumque fortiter tolerabat, paucis medicamentis laqueum fauces sibi præclusurum discidit, collumque constrictum ex eo extraxit. Contra ipsius sorori ex parvo carbunculo in pectore enato maximum vitæ periculum oboriebatur, lethaliter decumbit ad aliquot dies, multo tamen tandem labore evadit.

## OBSERV. LXXIV.

XIII. Aug.

CIvis cujusdam domus contage inficitur, ex domesticisque non nemo tumulo infertur, quo perculsus maritus uxorem juvenculam, quam nuper duxerat, à se dimittit, ad paternasque ædes ut se recipiat ad tempus, quò effugeret latè cæteroquin se diffundens contagium, ex utriusque consensu consultum visum est. Illa paululum subsistens apud parenres incipit ægrotare ex peste, vel in propriis, quibus abierat, ædibus, vel in paterno domicilio concepta, bubonemque in inguine sentit. Maritus, ad cujus aures cùm pervenisset de ægrotante uxore rumor, it visitatum eam quæsitumque quomodo valeat: Socer propiorem ad ægram ipsi denegat accessum, quem & ipse tum præsens dissuadeo. Ille ad uxorem haud admissus hinc inde habito sermone mæstu domum se confert, ac postridie eodem corripitur serpente malo: Statim vocor à Socero ipsi continuò adstante, valde æstuanti secatur vena brachii, suppositorium intruditur, sudat, clyster injicitur, nihilo melius habet, nec bubo nec anthrax in corpore erat tertio die moritur. Uxor harum rerum omnisque domesticæ ignara miseriæ, non rescivit maritum vel decumbere, vel periclitari, multò minus ipsum sibi longum valedixisse. Postea verò, cum extra periculum esse videretur, mariti obitus ipsi patefactus est, laboravitque & ista inguinali bubone ad aliquot septimanas, antequam solidaretur. Ita divulsi sunt altero alterius sortis nescio, quos non ita pridem solemni actu conjunctos conspexeramus.

## OBSERV. LXXV.

XIV. Aug.

HOnesta matrona duabus à sumpto prandio horis vomitu tentatur citra manifestam caussam, inde magno terrore territa insueto isto motu, quod sciebat plerosque, qui peste corriperentur, vomere, omnes suas ancillas mittit in plateas me quæsitum, atque ut confestim ad se veniam sollicitatum. Illæ in tam ampla civitate me non offendunt, sed cùm fortè transeo ædes cujusdam civis adhuc viventis in ve-

teri pago sive vico (ut vocamus) ante fores sedentis, is nunciat me anxiè quæsitum ab hujus illiusve ancillis, efflagitâsseque illas multùm, ut illicò ad domum suam inviserem, heram enim suam ægrotare. Statim pedem à proposito curriculo retrahens decumbentem ipsam invenio & vomentem, deportatur in aliud conclave à mariti lectisternio sejunctum, præscribuntur quæ ex usu fore judicabantur, etiam optimè sudat, altero die melius habet, dicit tamen se palpare in inguine bubonem, contrecto locum, nil tango, discusso terrore sedatoque vomitu & falsò concepta imaginatione nihil sinistri aut pestilentis quid passa est. Ille vomitus non à peste, sed quod utero conceperat, proveniebat, illa autem, se utero gerere, ignorabat, sequente hyeme pulchram enixa est puellam.

## OBSERV. LXXVI.

*XIV. Aug.*

HEræ cujusdam primariæ pedissequa incipit ægrotare, porrigitur ab hera, quod præstò erat, medicamentum ad proliciendum sudorem, sudat, bubonem accipit in inguine cum virium magna prostratione, tempus menstruorum instare credebatur, imò nonnihil istorum se patefecerat consuetâ via, verùm natura naturalis evacuandorum mensium viæ oblita excitat tam pertinacem narium hæmorrhagiam, ut nulla arte potuerit sisti, ita omnis sanguis eò laxatis habenis retractoque repagulo iturus videbatur. Erat aliàs valde obnoxia fluxui narium sanguineo, mensibus nihilominus stato tempore, sed parciùs, prodeuntibus, hinc natura faciliùs suetum istunc cursum vi morbi adacta repetiit. Tertio die naturæ concedit.

## OBSERV. LXXVII.

*XV. Aug.*

CUjusdam Tabellarii uxor in hortum suburbanum expatiebatur, sive animi recreandi ergò, sive carpendi fructus causâ: reversa domum malè sibi esse sentit, caputque sibi valde dolere. Ad eam accedens carbunculum in fronte conspicio supra oculum sinistrum, pronuncio peste ipsam laborare, ista contra ibat dicens se vespâ sive apis spiculo ibi punctam. Verùm non dimovebat me à concepta prolataque sententia, quam postea ipsa ipsiusque ægritudo satis confirmarunt, multum enim laboris & curâ difficilem caussatus est parvus iste carbo, vixque trium vel quatuor septimanarum spatio sanationem recepit, nec ægræ toto illo tempore è lecto surgere unquam concessit. Iisdem diebus Filia ejus minor quatuordecim años nata decubuit bubone in inguine oborto, qui ope medi-

dicamentorum & naturæ viribus discutiebatur absumebaturque, nares sanguinem fundebant cum εὐφορίᾳ & non ἀθρόως, ut in aliis vidimus, ideoque gravioribus symptomatibus libera facilè superavit morbum. Hisce duabus paulatim vires recolligentibus obruitur eodem malo altera natu major filia, quæ ipsis fideliter ministraverat, bubonem in collo accipit, quo brevi suffocata miserè periit.

## OBSERV. LXXIIX.

XV. Aug.

ANcilla virago corripitur bubone in inguine & anthrace in femore, mediocriter ægrotabat sine ulla mentis alienatione, sine vomitu, sine ullo graviore symptomate, interim nec anthrax nec bubo maturitatem recipere apti videbantur, die, qui præcedebat mortem, alter in altero erumpit inguine bubo, cum maximo dolore & ejulatu miserando, quem sequebatur mensium præter ordinem & naturalem fluendi modum eruptio, hanc brevi excipiebat mors ipsa.

## OBSERV. LXXIX.

XV. Aug.

VIri, cujus Obs. LVII memini, unicus adhuc superstes filius à Tutoribus bono consilio, & intentione laudabili ablegatur extra portam, ibique non longè ab urbe habitantibus committitur, ut in aëre viveret & liberiore & puriore, securiorque à præsenti esset veneno. Verùm haud diu ibi moratur sanus sed virus in ædibus paternis fortè conceptum sese mox ibi exserit, excitatque bubonem in collo, & parotidem pone aurem sinistram, καῦμα circa ventriculum magnum est, alvus dura, vigiliæ, brevi moritur. Ita tota hæreditas obvenit patris defuncti fratri, egeno viro. Citius debuisset fugere hostem juxta illud, citò, longè, tardè. Nec iis, qui diutius in aliquo loco infecto sine noxa sunt commorati, consultum est, ut deinde subitò locum mutent, & se in salubriorem aërem conferant. Notandum insuper præter contagium dari quoque dispositionem internam ad pestem citius contrahendam, quodque, qui ejusdem cum infectis sunt naturæ ac temperamenti, ab iis facilè inficiantur.

## OBSERV. LXXXX.

XVI. Aug.

VIr juvenis magno aqualiculo onustus extra urbem cum obequitat, sive animi laxandi ergò, sive negotiorum suorum expediundorum gratiâ, vesperi domum rediens de abdominis molestiis queritur, & cibum præter morem aversatur, omnem mali caussam in equum suc-

succussorium, & motum illum ventri suo valde molestum rejiciens. Vereor autem valde, ut veram sui decubitus caussam allegaverit, quod familiare multis fuit, nescio, quam caussam morbi sui prætendere, ne fortè statim contage correpti dicerentur, verùm irreparabili sæpe vitæ suæ damno. Sumit primùm domestica remedia, quibus plurimi erant instructi, altero die medicus accersitus quædam præscribit, tertio die secatur vena, omnia ruunt in deterius, nec quicquam de anthracibus vel bubonibus conspicitur. XVI. Aug. qui Solis erat dies, summo manè ego vocor, invenio ipsum præ anxietate Cordis mirè se gerentem, scrotum ipsius pueri caput magnitudine æquare conspiciebatur cum purpurascente rubedine gangrænam minitante, quo colore colorata etiam erant femora, altè spirabat, variè corpus jactabat, nec ullum vel locum, vel figuram, vel formam ullam decubitus sui nanciscebatur, ubi vel tantillum potuerit quiescere. Talis incertus decubitus dicitur *Hippocr.* ῥιπτασμὸς, βληστρισμὸς *in Sileno*, ἀλυσμὸς *in Prognostico*, alibi aliter. Ἀλυσμὸν autem *duplicem facit ex Hippocr Ballon. lib. defin. medic.* Ναυτιώδην alteram, alteram ἀνέμετον. Hic erat ἀνέμετος, unde *Hippocr.* ἀνεμέτως ἀσσώδεις dicuntur, cum vi morbi malignâ ita affectus est æger, ut ignoret, quo situ corpus collocare debeat: Ἀλύκη etiam *Gorræo* dicitur, verum *caussam tantum in humorem orificio ventriculi certo modo infestum tunicisque ventriculi impactum rejicit.* Voce Ἀλύκη utitur etiam Hipp. Aph. LVI. sect. VII. Galeno dicitur sui displicentia, suique tædium. Paucis à visitatione mea horis moritur.

*XVI. Aug.*

## OBSERV. LXXXI.

SOrores duæ ambæ viris aptæ eodem tempore laborant, bubones habent & carbunculos; multum dormiebant, expergefactæ non loquebantur, nec de doloribus aut molestia ulla conquerebantur, altera ferè immota aliquot dies jacebat, utriusque res deploratæ videbantur, multo tamen labore & diutina medela ambæ pristinam recuperant sanitatem, quâ etiamnum per Dei gratiam fruuntur.

*Sic sæpe exanimes comploratique resurgunt,*
*Quosq; neges unquam vivere posse, valent.*

Hæ ad sudorem non poterant adigi, imò initio vix sumebant medicamenta etiam multis verbis obtrusa. Ἡ φύσισ τῶν νούσων ἐστὶν ἰατρὸς; Sive *naturæ* non male *Hippocr. VI. Epid.* dicebantur νούσων ἰατροί. Tertia

tia autem soror in colle bubonem habet, quem facile ferebat, verùm nascebatur in lienis regione, ubi tamen nihil vel visu vel tactu se prodebat, dolor tam immanis, ut dies noctesque ejulare & clamorem miserabilem edere fuerit coacta, cujus ejulatus viribus collapsis finem tandem mors fecit. Subfuit sine dubio anthrax in liene aut musculis intercostalibus, licet hic tactu fortè potuisset deprehendi. Etiam in internis visceribus carbunculos erumpere, ibidemque latitare se anno M. DC.XXVI. Hildesiæ observâsse scripsit ad me Cl. Dominus D. Behrens Archiater Cellensis meritissimus, adducitque Reuchlinum Physicum Lubecensem, cui anno M.D. LXXVII. simile quid observatum. Certè cum ejusmodi laborantibus actum est. Nec memini quenquam evasisse, qui ita miserandum in modum clamâsset.

## OBSERV. LXXXII.

*XVI. Aug.*

VIr non mollis corporis, cujus vita jam processerat ultra quinquagesimum annum, non ita periculosè decumbere visus est, loquebatur bene, ridebat interdum in lecto jacens, nullam corporis anxietudinem incusabat, carbunculum nullum habebat, sed tantùm bubonem inguinalem, optimè ad medicamenta habebat multumque sudabat, de superiore cubili descendit in hypocaustum, atque ibi lectum in scamno ruditer sibi fieri curat. Tertio vel quarto die, cum ipsum visito, manè mediocriter habet, cùm ipsi nunciatur me adesse subitò surgit caligis indutus mihique apertis hypocausti foribus obviam ire, imò progredi in aream animus est. Eo viso hortor, ut referat pedem, neque hypocausto exeat, ita leviter ægrotabat. Post meridiem, cum fortè ipsius ædes prætereo, intro ipsas sciscitaturus quid rerum ibi ageretur, tunc lectum cui incubuerat, offendo in area & mulierem plorantem ægrumque animam efflâsse narrantem. Subita hæc erat metamorphosis tristisque catastrophe, qui ante paucas horas subridens mihi occurrebat vestibus indutus, nunc insperatò concidit exanimis. Mille mutationibus obnoxii sunt peste affecti.

## OBSERV. LXXXIII.

*XVII. Aug.*

MAter, & filia sedecim annorum unà ægrotant, mater bubonem habet in inguine, vomit sæpe, circaque cor multum anxia est, insomnes noctes transigit. Contra filia omnia mitiora patitur symptomata, carbunculum habet in altera mammilla & brachio, de nihilo queritur, nec nisi compellata loquitur, febris magna est, quicquid potulenti accipiebat ventriculus, retinebat, paucis diebus moritur. Mater diutius periculosiusque decumbens longo tempore evadit.

XVII. Aug.

## OBSERV. LXXXIV.

ANcilla cujusdam consulis ἑυεκτικὴ graviter laborat, vomit, æstuat, facies præ calore insufflata rubebat, sudor sponte fluebat, sanguis mittebatur, à cujus detractione carbunculus erumpit meliusque habet, serum lactis & lac ebutyratum, quo natura gaudebat, retinet, catera omnia, uti assumpta erant, rejiciebat: Ita & in acutissimis videas naturam oblectari assuetis, licèt minus ea morbo proficua fore judices. Hic error notandus multis adeò familiaris, qui obstinatè jubent ægros abstinere δυσπέπτοις καὶ κακοχύμοις, quibus tamen valde delectantur avideque inhiant laborantes, contra substituunt ipsis εὔχυμα καὶ εὔπεπτα quæ tamen natura respuit & adversatur. Maximè huc facit *Aphor. Hippoc.* s. II. Aphor. XXXIIX. *Cibus & potus paulo deterior, suavior tamen, melioribus, sed insuavioribus est anteponendus.*

XIIX. Aug.

## OBSERV. LXXXV.

UXor cujusdam Camerarii bubonem in inguine, & carbunculum in lumbo habet, intensissimo cruciatur bibendi desiderio, nihilum mente turbatur, cordis & præcordiorum compressionem patitur maximam, jactatur multum in lecto, bubo per interna externaque medicamenta non producitur, nec carbo ad maturitatem tendit, propter inquietudinem sudorem prolicere erat impossibile, ita animo præ mortis metu & corpore ex ægritudine valde turbato in tertium saltem diem lecto affixa tenetur, post placidè obdormiscit.

XIIX. Aug.

## OBSERV. LXXXVI.

VIdua quinquagenariâ major in crure sive ipsa sura carbonem accipit non multum molestiæ ipsi creantem, ideoque illum nauci habens nullam ipsius curam gerit; languidior tamen est, quàm aliàs corporis conditio fert, propterea me in consilium adhibet, petitque ut sibi quædam ad præservandum, ne communi grassante malo corripiatur, præscribam. Examinatis examinandis pulsuque explorato actu jam ipsam laborare pronuncio, maculamque illam nihil esse aliud, quàm verum carbunculum. Contra illa ex matrice se laborare potius, quod infiniti ructus monstrent, quo malo se aliàs sæpe torqueri. Verum cum indies pejus haberet, vires conciderent, ἀγρυπνία succederet, omnisque cibi appetitus periret, passa est se ut peste infectam tractari; accersitoque chirurgo ulcusculum obligari, quod à perita manu curationem demum recepit. Atque ita refectis viribus paulatim ad se redit integrèque curatur, quæ se verè ægrotare non putabat.

OB-

## OBSERV LXXXVII.

SOrores duæ, una statim post alteram, peste periculosè decumbunt, alteri altero ab invasione die secta vena saphena fuit, nihil in corporis habitu pestilentis notabatur, tertio die hæmorrhagia narium successit magna, & maculæ tres ex rubro livescentes oriuntur in manu dextra, sudavit statim in initio optimè, mensium fluxus debitum statutumque naturæ tempus antevertit, evasit tamen feliciter. Altera, dum sororis morbus adhuc in declinatione est, etiam incipit ægrotare ex capitis dolore & vigiliis, pulsus celer est, in corpore nihil erumpit, quod pestem potuerit monstrare, fluxus alvi moderatus, magnum de vita peritura incutiebat metum bubonis carbunculique absentia, superavit tamen & hæc ex sententia periculum. *XIIX, Aug.*

## OBSERV. LXXXIIX.

MUlier bene valens adhuc, & marito suo fataliter decumbenti anxiè prospicieus, carbunculos parvos in cruribus sortitur. Nescia pestis hos esse ἐξανθήματα, vel potius φύματα, dumque dolorem nullum inferebant aut molestiam aliquam, nauci eos facit, ostendit tamen eas Chirurgo, qui tum fortè curam Mariti in se susceperat; cùm & ipsi ignotæ essent hæ papulæ, utpote hactenus non visæ, dicit, illas nihil esse unde se angat, aut periculum de peste metuat, atque ita bono animo eam dimittit. Marito defuncto & ipsa vi morbi adacta lectum cogitur petere altero à viri morte, si rectè recordor, die; Me in consilium vocat, tunc denudatis cruribus ex ipsissimis carbunculis parum elevatis livescentibusq; notata video, eorum aliqui jam evanuerant, languor corporis aderat, vomitus cordisque compressio, mens constans manebat, & animo forti ferebat, quicquid mutare non poterat, finemque vitæ suæ sibi ipsi ex livescentibus carbunculis & macula in manu oborta præsagiebat, quibus se indefinens inquietudo associabat & ἀκινησία. Sæpissimè fit, ùt *sub pusillo tuberculo & vitii cicerculo latitaverit & conclusa fuerit vis veneni magna*, ùt alicubi loquitur *Severinus, Neapolitanus ille Chiron.* Hic locus postulare videtur ut explicem, quid sit Carbunculus, quibus signis noscatur, quo in loco oriatur, quiq; sit salutaris & qui mortem portendat, ultimo quomodo curetur. Carbunculus nomine pustularum venire comprehendique generaliter sub vocibus ἐξανθημάτων, ἐκθυμάτων καὶ ἐκφυμάτων extra controversiam esse puto, variari autem multum ex caussa materali (vide Heurnium in Comm. Aph. Hippocr. *XIX, Aug.*

 Aph.

Aph. XVI. ſ. II. colore & aliis accidentibus, nec incommodè eos referas ad *puſtulas Celſi, quas* dicit à *Græcis vocari* ἀγρίας : Verè enim inſtar feræ alicujus ſub & adjacentem carnem depaſcunt & corrumpunt. Videndus *Gorræus in definit. medic.* Sunt igitur Carbunculi nihil aliud quàm puſtulæ ſive potius tubercula parva parùm elevata cutemque ut plurimùm exulcerantia ex fervido aduſto, & à peſtilenti veneno fermentato inque ichorem verſo ſanguine in cute erumpentia, nunc rubra, nunc purpurea, nunc livida. *C. Celſus* ita eos deſcribit *lib. V. c. XXIIX. Rubor eſt, ſuperque eum non nimium puſtulæ eminent, maximè nigræ : interdum ſublividæ aut pallidæ. In his ſanies eſſe videtur, infra color niger eſt : ipſum corpus aridum & durius, quàm naturaliter oportet, circa quem quaſi cruſta eſt eaque inflammatione cingitur, neque in eo loco cutis levari poteſt, ſed inferiori carni quaſi affixa eſt.* Ita celſus. Quibus Ego addo, ſi rubor iſte in acutum tendit, fitque ὑπσηλὸς & cuniformis, & inſtar varorum in facie, (die Finnen.) pus nondum habentium, ſe habeat, nec altero die liveat aut rubor is obſcurus fiat, bonum eſſe ſignum, itidem ſi ἀρτίως καὶ ἀπαρτὶ, quod raro tamen fit, erumpat. Contra ſi non attollatur, brevi tempore liveſcat aut nigreſcat, ad ἐκπύησιν maturè non deveniat, ſed potius ſaniem & ichorem ſeroſum reddat, mortem præ foribus eſſe indicat. Commodùm hîc adducitur prognoſticum *Hipp. lib. I. Prognoſt. §. XV. Ulcera in morbis inſpicere debemus, ante mortem livida fiunt.* Oriuntur autem in univerſo corpore, capite, pede, manuum digitis partibusque obſcænis, in locis tamen glanduloſis, excepto capite, non memini me quemquam obſervâſſe. Curatur attractivo medicamento, & circa ruborem appoſito defenſivo, denique maturante & conſolidante, ut cætera ulcera ſemper admixtis peſti peculiariter adverſantibus. Num ad Carbunculos peſtilentes referendus *Carbunculus*, cujus meminit *Plin. Secundus l.* XXVI. *cap. I.* ? non puto.

## OBSERV. LXXXIX.

*XX. Aug.* MUlier juvencula poſt obitum parentum paulo ante memoratorum & ipſa peſte corripitur, bubonē in inguine habet, qui ad ſuppurationem non pervenit, ſed beneficio caloris naturalis diſcutitur ſenſim & applicatione emplaſtrorum. Carbunculos duos patitur, quorum alter in ventriculi ſuperiori orificio ad cartilaginem enſiformem conſpicitur, alter paulò ſuperius ſupra diaphragma, tres dies admodum debilis eſt, ſine tamen gravibus accidentibus, quod mirum, cùm in locis hæſerint illi ſanguinis caloriſque fonti vicinis, ipſi Cordi.

Ve-

Verùm ægræ corpus bene præparatum erat, ab omnique cacochymia liberatum, ideoque putredo tam altè pedem figere nequibat, sed natura oneris parte levata facilius, quicquid noxium erat ad cutem protrudere potis erat. Et quamvis ipsius malignitatis πρῶτον δεκτικὸν non sit κακοχυμία, affectum tamen valde reddit deteriorem. Dici enim vix potest, quàm bellè se habuerint omnes, qui moderatè præservatoriis, iisque temperatis, usi sunt remediis, atque ad mensuram sive libellam mediocriter vixerunt, maximam enim partem contage correpti liberati sunt, nec ita gravibus symptomatis laborarunt: Contra qui immodicè ea usurparunt nimiumque calida in usum traxerunt, pessimè cum iis actum, uti in progressu dicetur

## OBSERV. LXXXX.

Vir quinquagenarius durorum haud impatiens laborum, εὔσαρκος, bubonem sub axilla sinistra, carbunculos, unum in sterno, alterum in humero habet, bubo dissipatur, carbunculus in sterno suppuratur, & cum subjectam carnem non altè exedisset, facilè sanationem suscipit, ut & qui humerum obsidebat, sudabat multum, & ferè continuò cutis ex halituosis vaporibus madebat, urina turbata & lutosa erat cum multo crasso sedimento, facies rubebat, somni vacuitas, post octo dies restituitur. Quem optatum eventum etiam nanciscitur ipsius Filia major juxta patrem in eodem cubili cubans, bubonem in inguine magnum exulceratum habebat, multum etiam calebat & sudabat. *XX. Aug.*

## OBSERV. XCI.

Mulier boni salubrisque habitus, cujus maritus ante paucas septimanas jam è vita decesserat, continua corripitur febre, rubet, æstuat, dejicitur appetitus, nauseat, nullus in cute erumpit vel carbunculus vel bubo, à doloribus omnibus libera, mens firma, mador cutis multus. Hanc peste infectam asserere non dubitabam, quod tum ex superius adductis symptomatis erat colligere, tum ex quorundam in propriis ædibus mortuorum sepultura. Abscessuum autem nulla eruptio erat facta, partim quod conceptum virus in corpore puro fermentationem multam & putredinem creare non potuit, potiùsque naturæ robore & bonitate discussum paulatimque superatum fuit. Illa post plures dies integrè convalescit. Confirmat meam opinionem magnum Hippocr. argumentum; δηλοῖ καὶ ἡ ἴησις, quæ pesti contraria adhibebatur. *XXI. Aug.*

## OBSERV. XCII.

XXI. Aug. Simile, sed dissimili eventu, exemplum affert nobis virgo robusta, illa per aliquot dies malè habet, nunc lecto tenetur, nunc obambulat, & quia medicamenta aversabatur pertinaciter, resque ejus periculosiores nec ægræ nec domesticis videbantur, negligitur medicus, quo tamen tandem in consilium vocato nec melius ad Alexipharmaca habet, nec pejus, ultimum refugium fit ad sectionem venæ, quâ celebrata omnia in pejus ruunt, altero à secta vena die ab hac luce subtrahitur. Nulli in corpore abscessus vel maculæ apparuerunt. Fortè, quia nondum in corpore bubo vel carbunculus fuit visus, audacter vena secta est, verùm ἀλόγως καὶ ἀμεθόδως & non sperato effectu. An non apparentibus vel bubonibus vel carbunculis tutò vena aperienda, uti cuidam ex nostris medicis placebat? Non certè videtur.

## OBSERV. XCIII.

XXII. Aug. Quid terror subitus & insperatus possit in corpore humano, multi multis docent, & res est clara. *Schenk. lib. I. Obs. I.* recitat exemplum de juvene in aula Cæsaris, qui ob expugnatam virginis, quam deperiit, pudicitiam in carcerem conjectus ad mortemque damnatus est. Mortis horâ denunciata nocte illâ, quam ultimam fore sciebat, canus factus est, ita ut sequenti die pro tribunali consistens à nemine eorum, quibus cum familiariter vixerat, ne à Cæsare ipso potuerit agnosci: adeò illi mortis horror vitæque desperatio paucarum horarum spatio colorem vigoremque corporis ademerat, ut omnis species formæque decor ac venustas defluxisse videretur. Quâ repentina, & insolita pilorum mutatione aspectuque viri attonitus & obstupefactus Imperator, ex vindicta in commiserationem deflexit animum, satisque pœnarum dedisse ratus culpam illi remisit, ac violatæ ereptæque pudicitiæ crimen condonavit. *Quandoque ex terrore & timore Epilepsia orta est, Joh. Bapt. mont. de morb. part. Cons. XXVI.* Quid valeat in gravidas, clarius est, quàm egeat narratione. *Nonnunquam sanat morbos terror repentinus: Sic Epileptica tempore paroxysmi frigidâ largiter affusâ præter expectationem perterritâ convaluit, Barthol. Hist. Anat. Cent. III. p. LXXXIII.* Terrore pestem induci plurimis exemplis hîc sumus edocti, verùm eo curatum novimus neminem. Idem *Bartholin. Centur. IV. Obs. LXXVI.* censet, corripi multos tempore pestilenti pestilentiâ, quàm fortè constanti animo & sereno evaderent, ob timorem *vel eo nomine, quod torpidus*

*metu*

*metu sanguis ingruentia mala facilius admittat.* Ego Vocor ad Viduam ægrotantem, ancilla adventum meum sollicitans neminem in domo sua ægrotare præter heram dicebat, verebatur, si verum dixisset, ut venirem. Domum cum intro in ipsa area ex improviso arcam sepulchralem albo linteo tectam offendo,

*steterunt*
*Statim arrectæ horrore comæ, vox faucibus hæsit.*

Sisto illicò pedem incertus num introeundum, num pes referendus sit. Ast resumpto animo pergo ad heram, quam in cubili suo offendo admodum ægram, sanguinea erat, obesa, circa diaphragma & faciem æstus multus, valde febriebat, vomebat, secatur vena, evadit. Primo accessu paucis verbis cum ipsa commutatis fortè retrospiciens à tergo duos lectulos video, in quibus singulis liberi contage infecti decumbebant, quos etiam brevi pòst omnes mors abstulit atra; sola matre relicta superstite; Iterum non levi horrore concutior, & tamen mali nihil inde per Numinis clementiam, quæ semper mihi mirè adfuit, mihi accrevit:

*Sic subii toties manifesta pericula vitæ.*

## OBSERV. XCIV.

PRæcedens historia in memoriam mihi revocat, quæ non multo ante tempore contigerant heræ hujus servo, quæ etiam merentur heîc inseri. Servus iste dominicâ quadam die extra urbem in cauponam cum sociis suis se confert, ultra mediocritatem poti portam, ne excludantur noctu, repetunt, in via altercantur, à jurgiis ac conviciis ad verbera deventum est, etiam vapulat hic servus. Vesperi domum rediens incænatus cubitum it, manè diutius solito dormit, unde mittit domina sciscitatum quî hoc fiat: respondet, heri se plagis quibusdam exceptum ex iisque ægrotare. Hera fidem adhibens servi verbis & excusationi de in longius consueto tempus protracta dormitione negligentiùs ipsum tractat, quàm aliàs morbus postulâsset, altero vel tertio die moritur, in corpore nec bubo nec carbunculus oculis usurpari poterat. Ab ejus obitu jussu Amplissimi Senatus oblegamur eò Ego, Senatores, & Præfecti judicii inferioris exploratum visumque, num ex plagis mors ipsi obvenisset. Corpore undique inspecto reperimus nec vulneratum illum, nec vestigia ulla alicujus sugillatûs & contusionis, sed in sinistro femore ad inguen usque & Epigastrium maculas purpurascentes & flavos, cum nulla cutis elevatione, quales conspici aliàs solent in moribundorum aut mortuorum dorso musculosisque partibus; quæ cùm non indicarent violentâ

lentâ morte illum obiisse, judicatum fuit peste illum ab hominibus ereptum, & heram finxisse hæc studio, simulasseque veram veri morbi caussam, uti plurimi falsam hoc tempore sui decubitus caussam prætenderunt irreparabili sanè suo damno. Ita sæpe prehendit mortales Pestis

*Inter spem, curasq́, timores, inter & iras.*

An vero liceat morbos simulare, & qui facilius, qui difficilius possint simulari, quaque pœna morbum simulantes afficiendi, optimè edisserit nobile illud romanum decus Zachias Quæst. med. legal. lib. III. Tit. II.

XXII. *Aug.*

## OBSERV. XCV.

Scriniarii uxor debilis admodum & lipothymiis defatigata anxiè me desiderat, ut servetur cum suo marito, qui duo soli ex omnibus domesticis adhuc supererant. Illa bubonem unicum habet in inguine, præ quo ægrè incedebat claudicabatque valde, tandem omnino lecto detinetur, sudat optimè, refrigerantibus maximus calor temperatur sanaturque ex voto. Cum morbus declinat, corripitur & maritus, ille ob usuram sive lucrum, quod ex manuum opera tum ubertim ipsis suppetebat, lecto se committere nolebat, sed stando nunc, nunc sedendo arcas funebres conficiebat, verùm morbi vi ita dejectus viribus est, ut mortem in proquinquo esse omnes arbitraremur. Lecto itaque illatus refocillatusque paululum ad se rediit, sudorifera propter virium debilitatem non poterat ferre, & jam in opere suo faciundo sudaverat sic satis. Convaluit.

XXIII. *Aug.*

## OBSERV. XCVI.

Virgo florentis ætatis lethaliter jam per aliquot dies decubuerat, antequam Ego accersor, ad primum intuitum aperte dico illam non evasuram mortis vim, quanquam morborum acutorum incertæ sint prænunciationes, Hipp. s. II. Aph. XIX. jacebat supina artubus omnibus extentis & projectis, qualis decubitus *Hippocr.* suspectus est, dum inquit in coac.: ὕπτιον δὲ κεῖσθαι τὰ σκέλεα ἐκτεταμένον οὐκ ἄριστον, supinum jacere, cruribus extentis, bonum non est. *Idem lib. I. progn. §.* IX. Habebat in inguine bubonē, non memini me alios heic notâsse abscessus, faciei color perierat vividus, non loquebatur, sed ut comatosa altero die hominem exuebat. Mirum quî juvencula boni habitus sanguineque laudabili aliàs abundans nativum floridumque faciei colorem diu ante obitum amiserit, & alii non ita sanguinei servarint eundem immutatum ad ultimum usque mortis articulum, ut vel centies observatum. Num cor,

vitæ

vitæ arx, ex quo mediantibus arteriis ſanguis omnis externis partibus communicatur, ſtatim initiò ita obſeſſum & occupatum fuit, ut nequiverit vel elaborare puros ſplendidosque ſpiritus ſanguinemque floridum, imò eo usque non potuit ablegare præ imbecillitate id, quod illuſtrare faciem debuiſſet, inde decolor facies, non aliter ut ex abſentia luminis tenebræ oriuntur?

## OBSERV. XCVII.

Vir ſexagenarius, ut conjicio, obeſus, & cacochymicus, contagio tactus ad ſe ut veniam petit, æſtuabat, ſpiritum altè trahebat, ut aliàs is præ corporis mole difficulter ducitur, inordinatè vivebat, nunc hoc, nunc illud potus genus potans, potius naturâ, quàm arte ſequitur ſudor, carbunculum exulceratum habet, qui ægrè ſanationem recipiebat, absque hoc ſi fuiſſet, ſaltem continua putrida laborare illum etiam excercitasſimus in artis noſtræ operibus judicâſſet. Eodem tempore in eodem hypocauſto unà ægrotabat & uxor ejus viro pinguior ſuo, nec purioris corporis, ex inordinato vitæ genere contracti, illa nec bubonem habet, nec carbonem, ſudorem prolicere non poteramus, ob corporis enim craſſitiem integumenta multa ſibi imponi non ferebat, negligenter tractati ſunt, & tamen ambo Dei beneficio eluctati ſunt multo tempore. Obſervatum aliàs, periculoſiùs peſte ægrotare carnoſiora corpora, ſive potius pinguiora, quàm gracilia, cæteris tamen paribus. Et omninò diſtinguendum inter carnoſos & pingues, illi ſanguine abundant calidioriſque temperamenti ſunt, hi frigidioris minusque habent ſanguinis: pinguedo enim potius à frigore eſt, eoque concrevit, utpote quæ calore funditur, ut optimè *Ariſt.* docet. Et de pinguibus videtur accipiendum, quod ſalſè in illos dicit *M. Cato major apud Plutarchum de Vit. Ill. Vir. ubi tale corpus,* inquit, *utile ſit Reipublicæ, in quo, quod inter gulam & inguina intereſt ſpatii, omne venter occupat?* Et Gal. lib. ad Thraſyb. dicit, *venter præpinguis acutiem menti non adfert*: & ex *Celſo* l. II. c. I. *Obeſum corpus hebes eſt.* Et *impinguatio, ſi modum excedat, noxia eſt,* inquit, *Philoſ. II. part. animal c. V.* unde quæ valde pinguia ſunt, celerius ſeneſcunt, ratio eſt, quia parum ſanguinis habent, at quibus non ſuppetit uberior ſanguis, ad interitum ſunt oportuniora: interitus quippe inopia quædam ſanguinis eſt. Sunt præterea *nimis obeſa* inquit *Cl. Sebizius lib. V. de Alim Fac.* ſterilia ob ſanguinis penuriam. Gal. comment. in Aph. Hipp. Aph. XLIV. lib. II. diſtinguit inter illos, qui à pueris craſſi ſunt, & illos, qui poſtea ex aliqua occaſione craſſeſcunt, hos firma valetudine judicat, illos minus, quia vaſa parva habent & ſanguinis conſequen-

*XXIII. Aug.*

ter minimum. *Et corpus crassum ταχυθάνατον est, ut Hippocr. apertè innuit* prænominato Aph. qui ita habet: οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται τῶν ἰσχνῶν: *Qui naturâ valde crassi sunt, celerius moriuntur, quàm graciles.* Præterea pleniora corpora morbosiora quoque sunt plurimos pravos & ad putredinem aptos humores in aqualiculis suis continentia, unde *Celsus l. II. c. II. Si plenior aliquis & speciosior & coloratior factus est, suspecta bona sua habere debet.* Illud tamen observandum ex *Mercuriali l. de morb. puerorum c. III. Obesitatem, quæ æqualiter perseverat, esse multo eligibiliorem, quam sit immodica macies, eo quod vita nostra posita est in humido, & ubi humiditas hæc abundat, fugiuntur plurimæ noxæ, illæ scilicet, quæ ex coitu, laboribus, & aliis immensis evacuationibus contrahuntur.* Nec tamen laudaverim nimiam maciem, *gracile* enim *corpus infirmum est* inquit *Celsus l. II. c. I.* & à causis externis facilè læditur. De macie distinctè & eruditè loquitur paulò ante citatus Mercur. cap. III. *Macies*, inquit, *& gracilitas modò à principiis naturæ oritur, & naturalis est, modò adventitia, ubi à principiis naturæ est, semper melior est quàm obesitas nimia, quia ubi graciles à natura sunt, capaciora vasa habent: Macies autem adventitia, si modum excedat, mala est, præsertim in pueris, ratio est, tum quia hujuscemodi macies caussam aliquam semper sequitur morbificam: tum quia* ut dicit *Arist. III. de Histor. animal. XVI. in his venæ atque nervi extenuantur & contabescunt.* Quomodo verò corrigenda sit obesitas excedens & macies immodica alibi docetur, & huc non pertinet.

## OBSERV. XCIIX.

*XXIII. Aug.*

PUella duodecim annorum, spes unica Parentum, graviter cæpit laborare ex unico in inguine parvo bubone, quantum nauseabundus ventriculus admittebat, sumere jubebatur, verùm quâ assumpserat viâ, eâdem reddebat accepta. Procedente morbo difficulter cæpit deglutire, ita ut brevi totum ferè interciderit deglutiendi munus, nec tamen vel extra vel intra collum tumor ullus aut visu aut tactu deprehendere erat, hinc suspicio oriebatur de musculorum faucium resolutione aut potius Angina, de qua *Hipp. in coac. prænot. Anginæ, quæ neque in collo, neque in faucibus quicqum conspicuum faciunt, verùm suffocationem vehementem ac spirandi difficultatem inducunt, eâdem die & tertiâ occidunt*, accuratè tamen hoc non poteramus indagare ob distractissimam praxin, & quia mors altero die obrepebat.

OB-

## OBSERV. XCIX.

JUvenis XXII. circiter annorum robuſtus, ſentiens ſe infectum ſategit currendo conceptum contagium disſipare, ideoque confeſtim extra portam ſe confert, & citisſimo curſu unum alterumq́ue ſtadium conficit multo ſudore ex nimio motu profuſo. Altero die, cùm pejus haberet lectumq́ue petere cogeretur, Parentes me accerſunt, ingreſſus ad ægrum de immaturo & noxio curſu quæro, dicit ſe tantum ſudorem profudiſſe, ut etiam per caligas & tibialia profluxerit. Verùm tantùm abfuit, ut juverit, ut maximè etiam nocuerit intempeſtivus iſte & vehementior motus. Si à motu iſto ſtatim lecti tepore eſſet exceptus, refectusq́ue cordialibus & Alexipharmacis medicamentis, procul dubio conducibilis fuiſſet, ſed poris cutis pernici iſto curſu apertis illorumq́ue oſtiolis in liberiore aëre ceſſante motu occluſis occluſum quoq; fuit id, quod maximè exire ſanitas futura requirebat. Succesſit profundus ſomnus, delirium mite & non continuum, narium hæmorrhagia interrupta, & quæ vires non minuebat, laudabili criſi hanc provenire exiſtimabam, hinc omnes læti de certa ſalute bene ſperabamus: verùm creſcente delirio & febre inopinatò è vita diſcesſit. *XXIV. Aug.*

## OBSERV. C.

CIvis cujusdam domus adeo infecta erat contagio, ut omnis familia brevi peſſum ierit præter unicam, quæ ex peſte adhuc claudicans parentibus liberisque decumbentibus erat à miniſterio. Ad virum vocatus offendo illum febre ardentisſimâ laborare, ſæpe altèque ſpirare, carbunculis bubonibusq́ue corpus ejus inſignitum, vomitus multus & putredo inſignis aderat. A Conjugis, quæ in alio lecto cubabat, vomendi conatu vomituq́ue ſubſequente reſpiciendi anſam capio, illa non minus lethaliter ægrotabat, ipſo marito, cumq́ue omne aſſumptum revomerent, brevi ambos feretro in cæmiterium portari vidi. Bis ſaltim eos viſitavi, nec lubuit pluries immundam ipſorum domum, ne Dominum meum temeritate meâ temerarem, ingredi, quoniam, inquit, *Auguſtin.* l. XVI. de C. Dei c. XIX. *ſi quis periculum, quantum cavere poterat, non cavet, magis tentat Deum, quàm ſperat in Deo:* Sordida erant omnia, cubiculi feneſtræ apertæ omnes, per quas involabant gallinæ gallique pavimentum fœdè conſpurcantes, nec erat, qui vel ſuffitu quodam aërem corrigere potuiſſet. Sequentibus diebus in hujus fratris ædes è regione poſitas me conferebam, inde de illorum ſtatu me erudiri facilè ſuſtinui. Verùm aucta putredine & contage pro deploratis habebantur, *XXIV. Aug.*

bantur, nec erat quisquam, qui ulteriorem meam sollicitâsset opem, consiliumque petiisset, brevi omnes diem suum obierunt.

## OBSERV. CI.

XXV. Aug.

Mulier juvenis primis gravida mensibus nauseâ tentatur & vomitu cum modico calore præternaturali. Cum nihil in corpore pestilentis, quod oculis usurpari potuisset, animadverteretur, gravibusque sumptomatis careret, à generosioribus mediis consultò abstinuimus, saltem julapiis confortantibus rem omnem expedivimus, alvoque per suppositorium sollicitatâ in melius versa ejus res est. Num pestis subfuerit, non possum definire, præ metu animique consternatione multis ægrè viventibus; Et nausea vomitusve primis mensibus utero gerentibus non solet esse infrequens.

## OBSERV. CII.

XXV. Aug.

Virgo septemdecim annorum clari Viri filia sentit lassitudinem omnium membrorum, in somnum propensa est, qui somni amor ita increvit, ut per vitam & morbi totius decursum eum vitare nequiverit, tumorum in corpore nihil conspicitur, jacet immota artubus omnibus disjectis, qualis decubitus superiùs descriptus est, ἄφωνος est, facies omnem naturalem colorem amiserat, ita ut ex pallore ferè liveret, vitio scilicet præcordiis incumbente, præsertim verò à pulmone, qui de proxima vicinia, qualis ipse est, tales & genis refundit colores. Curatur primum ab alio, nescio quo, qui eam ut hystericam & ex uteri strangulatu laborantem tractat, aquam potentiâ calidam præscribit, quam adstantes actu frigidam in ægræ faciem projicere jussi sunt ad eam excitandam, prout interdum fieri suevit in uteri suffocatione. Cautè tamen hîc te geras, oportet, Hystericis enim aspersiones in faciem cum vino aromatico non conferunt, Forest. XXIIX. Obs. XXV. quia uterum ascendere faciunt ibid. Obs. XXIII. Schol. Res in deterius labitur, vocor & Ego, dico peste eam laborare, quod & ægra ipsa ad sororem suã, quæ adhuc superstes est, lingua vix perceptibili confitetur, inquiens: *Soror dilecta pestis est, proinde viciniùs te mihi ne sistas.* Altero die oborto fluxu colliquativo fætido & nigricante ad vitæ exitum vocatur.

OB-

## OBSERV. CIII.

Ncilla virago, cujus pudicitia suspecta admodum erat , nihil pestem metuens corripitur eâ satis acutè & periculosè, primis diebus mediocria sunt symptomata , verùm multiplicantibus se diebus multiplicantur & ipsa, in delirium agitur continuum, quod excepit clamor & ejulatus magnus per duos dies, qui terorem incutiebat audientibus & misericordiam plurimis movebat, *alienis enim delectari malis, voluptas in humana est*, inquit Senec. de Tranquill. anim. c. XV Pauca admodum medicamenta ipsi porrecta sunt, & non nisi ultimis vitæ diebus. *XXVI. Aug.*

## OBSERV. CIV.

Morbos alios omnes silere pestis tempore unanimi consensu à medicis adstruitur experientiaque confirmatur, nec Ego contrarium asserere conabor, unum tamen alterumque affectum leviorem à peste diversum pestis tempore me observâsse profiteor. Viri militaris præfecturæ uxor laborat febre tertiana purâ sive exquisita, curatur à D. Collega meo Jordano , qui ante sex septimanas primùm huc venerat. Verùm cùm pridie ipse malè cæperit habere, mittit ad me petitum ut vires suas expleam mulierisque illius curam in me reciperem. Obstupefactus hoc nuncio eo ad ægrotam, quàm minus periculosè ægrotare offendo, mittitur sanguis, purgatur, & administrantur alia, quæ ad talem morbum ex arte requiruntur , non multis diebus convalescit. Hinc recto pede pergo ad Collegam meum, atque ibi minus prospera omnia invenio, prout sequens docebit observatio. *XXVII. Aug.*

## OBSERV. CV.

Accedens ad Dominum Collegam meum τὸν μακαρίτην caussamque decubitus accuratiùs inquirens tango parvum bubonem sub axilla sinistra, erat patiens sine ulla lipothymia alioque graviore symptomate. Quæro num sudoriferum aut expellens aliquod sumsisset medicamentum, negativè respondet : quâ autem ductus ratione abstinuerit ab ipsis non possum accuratè divinare, certè in ἱδρωτικοῖς in initio morbi adhibitis potior sanationis spes sita est ; venenum enim in corpus transumptum non diu extra vasa subsistere posse, sed citò rapi per venas ad cor, ex hoc mediantibus arteriis in universum corpus didi, credo apud omnes in confesso esse, Sed non tangam hoc argumenti genus, ne quis me ipsius manibus insultare velle contendat, aut mor- *XXVII. Aug.*

tuo litem movere: saltem tamen omninò merentur legi, quæ in hanc rem scripsit exclentissimus Philosophus juxta ac Medicus *Fracastorius Veronensis* (*qui Patrum Concilii Tridenti medicus fuit, & à Pontifice Leone X. menstruos habebat aureos sexaginta, teste Sleidano lib. XIX.* Splendidum mehercules salariū. Verùm splendidius multo fuit, si verum, quod de *Cotterio Ludovici* XI. *Galliæ Regis Archiatro* narratur, teste *Cominæo lib.* IX. *Histor. qui pro menstruo stipendio decem aureorum millia accepisse scribitur.* Nimium hoc est, & fidem forsan superat. At

*Quàm malè nunc Artes miseras hæc secula tractant:*
*Spes nulla ulterior. Didicit nunc dives avarus*
*Tantùm admirari, tantùm laudare disertos;*
*Ut Pueri Junonis avem.*)

lib. de Contagionib. c. VII. *Quòd in animal penetrent* (scil. contagii seminaria,) *& nonnulla citissimè nemo mirari debet, si modum quo ingrediuntur, consideret: ingrediuntur autem è parvis poris, venis, & arteriis in majores, & ab his in alios, sæpe etiam usque ad cor. Unus penetrationis modus est per propagationem & quasi sobolem; prima enim seminaria, quæ adhæserunt è vicinis humoribus, ad quos habent analogiam, consimilia sibi alia generant, & propagant, & hæc alia, donec tota humorum massa & moles afficiatur. Alius modus est per attractionem, quæ intro fit tum inspiratione per anhelitum, tum venarum dilatatione: simul enim cum aëre, qui attrahitur, ingrediuntur commista contagionum seminaria, quæ, ubi introducta sunt, non eâdem facilitate regrediuntur per expirationem, qua ingressa per inspirationem fuêre, quoniam agglutinantur humoribus & membris, & nonnulla etiam spiritibus, qui contrarii speciem refugientes, secum & inimicum ad cor ferunt: non enim dicendum est* (ut quidam ajunt) *venena & contagiones præcipuè cor petere, atque aggredi, uti inimicum, quasi cognitio & voluntas iis insint. Tardius autem penetrant, quæ per se minus acria sunt, aut in lentore multo sepulta, & analogiam habentia ad crassiores humores, & quæ per venas trahuntur: celeriùs autem, quæ per anhelitum, & quæ subtiliora sunt, & acrimoniæ majoris, ad spiritus autem analoga. Fortasse autem & alius est penetrationis modus: omnis enim evaporatio de angusto in amplum facillimè diffunditur: quare, quum minores & angustiores sint venæ, quæ circa summa sunt, majores verò continuè, quà versus cor itur, inde fit, ut contagio quàm facillimè ex angustis venis in amplas diffundatur, ubi etiam major est calor, atque ad cor etiam feratur, nisi quid obstet.* Suadeo ut nonnihil pulveris alicujus bezoartici, Elix. pestilent. Bol. armen. vel terr. sigillat. cum aq. Theriac. & aceto Bezort. sumeret, terras enim ejusmodi pingues plurimùm in peste valere jam dudum nos ab utriusque nostrum quondam Præceptore Magno & Incomporabili Conringio

ringio esse edoctos. ( cujus sententiæ quoque esse video D. D. Simonem Paulli Archiatrum regium]Danicum itidem Præceptorem quondam meum plurimum honorandum in παρεκβάσει sua de Febrib. malign. nimirum *venenorum vim frænari, aut potius* ζέσιν *illorum sisti per pinguia, ne corrumpere corpus nostrum possint.* ) Præbet assensum, sudat, buboni apponitur Emp. magnet. Salæ, nihil tamen eundem promovimus, circa vesperam melius habet, præscribo pauca alia, quia valde aversabatur medicinas. Manè sequentis diei iterum ipsum invisito, adhuc bellè habet & meliores securioresque ejus res erant, quàm præcedens dies eas nobis dederat, non diu ibi moror ob diffusam praxin, & quod tunc ferè solus eam in amplissima hac civitate exercebam. Post meridiem omnia in pejus labuntur, cumque circa horam quartam ædes ipsius fortè prætereo, obaudio in ipsius cubiculo strepitum murmurationemque legentium, orantium, altèque suspirantium : mutato cursu ad ægrotum festino, ibi primo intuitu omnia conclamata invenio,

*Et vis & virtus membris decesserat omnis,*

facies cadaverosa erat, pulsus in manus carpo ob virium cordis oppressionem nullus sentiebatur, fluxus colliquativus lecto illum surgere compellebat, mens nihil vacillabat toto morbi decursu ad extremam usque halitum. Consolans illum fortique animo esse jubens dico posse Deum & morti proximos vitæ integræ reddere, fierique sæpe in arte nostra miracula : verùm ipse sentiens, quem hostem in pectore gerat, respondebat : moriundum, moriundum mihi est, tange pulsum meum & non senties ipsum. Tunc ad hunc modum ipsum locuturum divinabam :

*Nil artes, herbæq; valent succiq; potentes.*
*Astra fefellerunt primoq; in flore virili*
*Aufferor, heu fallax, & breve, vita, bonum.*
*Non mihi jam patriæ superest spes ulla juvandæ,*
*Manibus hæc tellus est habitanda meis.*
*Non Ego, quod rapior primis inglorius annis,*
*Fata moror, quamvis vincere dulce foret.*
*Tu facis, ah miseranda proles, tua serior ætas,*
*Tempus in exiguum cur superesse velim. P. Lot.*

Cum jam jam instare mortem animadvertebam, multis Deo ipsum commendabam lacrymis, ille vicissim omnia fausta mihi apprecabatur, atque ut opera mea miserrimo & calamitoso hoc rerum nostrarum statu ( quo,

*Quocunq; adspiceres, luctus gemitusq; sonabant.*
*Et — lugent juvenesq; senesq;*
*Et vulgus proceresq; gemunt.* Sil. Ital. )

plu-

plurimis proficua sit, optabat, etiam, cum ab eo discesseram, mille vale mihi nunciari jussit. Atque ita

*—ipsa in patria florentibus annis*
*Funere eum sævo mersit acerba dies,*

& ab hoste, quem ante sex septimanas oppugnatum venerat, extinctus est multo post se desiderio relicto. Ergo nunc

*Ossa jacent tumulo: victuri gloria restat*
*Nominis: ad superos mens pia fecit iter.*
*Salve pars animæ nuper dulcissima nostræ,*
*Gaude & perpetuum rursus ave, atq; vale.* *Lotich.*

Ego ipsius obitu non parum consternatus non semel ingeminabam illud: *Hodie Tibi, cras Mihi*, omnique horà truculenti hostis irruptionem Arx vitæ meæ metuebat, cum nec hora, qua cum infectis conversari non coactus fuerim, vacua mihi relicta sit, atque

*Tristibus assiduè Lachesis me cura fatiget*
*Casibus, & latos non sinat ire dies:*

& tamen ex mediis flammis Deus meus misericors verusque Ἀλεξίκακος, ut Herculem appellat Homerus, benignissimè me eripuit, atque in hunc usque diem optimè valere ex mera sua gratia dignatus est.

*Ergo reus voti, quid agam? quæ dona rependam!*
*Quo Tibi, summe Pater, munere gratus ero?*
*Non dabimus costum succumvè liquentis amomi,*
*Nec te Panchæi thuris honore colam.*
*Grata tibi mens labe carens, & honesta voluntas,*
*Inq; tui flagrans agnitione fides.*
*Summe Parens, Sobolesq; Patris, Consorsq; duorum*
*Spiritus, in trino numine numen idem.*
*Omnipotens, cujus divina potentia finem*
*Non habet, æternùm laus sit honorq; Tibi.*
*Non medicaminibus, non sum servatus ab herbis,*
*Nulla meis radix usibus apta fuit.*
*Idcirco, Deus alme, tuo dum munere vivam,*
*Ingenium soli serviet omne Tibi,*

OB-

## OBSERV. CVI.

MAtrona honesta quinquagenariâ major admodum periculosè laborat, carbunculos habet & bubonem, quorum tamen nullus ad ἐκπύησιν & maturitatem pervenit, febris putrida magna, æstus, vigiliæ, lipothymiæ, alvus sicca. His accedebat & aliud accidens, molestissima nempe & indesinens sputi sive pituitæ viscidæ ex ore rejectatio instar πτυελισμοῦ, (qui tamen magis de aqueo crudo humore intelligitur) in gutture & faucibus quanta aderat siccitas à fuliginibus siccis per putredinem elevatis, tenaci illa pituita os semper erat oppletum, ut vix fari potuerit, & ubi diutius paulò vel per somnum levem brevissimumque vel aliâ de caussa ibi detineretur, tam tenax ab exurente calore reddebatur, ut digitis ore eam eximere necessum habuerit, multum negotii creabatur tonsori, ut fauces servaret mundas, defenderetque ab alta putredine. Tandem longiore curâ evadit. Decumbebat juxtra matrem & filia quatuordecim annorum, sed minus periculosè, partim quod natura robustior, partim quod venenum benignius, itidem caruit carbunculis & bubonibus, eorum loco obsita erat maculis multis flavis absque ullo graviore symptomate, brevi sanitati est restituta. *XXVII. Aug.*

## OBSERV. CVII.

JUvenis corripitur bubone sub axilla sinistra carbunculisque multis, tribus in brachio, duobus in crure, tantùm sinistrum latus affectum erat, acutè laborat, vigilat, delirat aliquot dies, in phrenesin ipsam ipsum lapsurum valde metuebamus, putredo magna, sitis intensa, aliquoties morti proximus videbatur, ægrè tandem convalescit. Cum delirio aliquid rationis adhuc ipsi superfuisse manifestò erat deprehendere, marsupium enim suum bonâ argenti quantitate impletum juxta se vel in lecto vel scamno positum ipse servabat custodiebatque, inde depromebat, quod mihi persoluturus erat, sostrum, & quod mireris, nec plus, nec minus, & quidem iteratò, quàm quo aliàs plurimi suos honorare solent medicos, certò non secus ac si sanissimâ mente præditus fuisset. Post multa adhibita remedia ense tandem secandus erat bubo, carbunculi quoque in tam grandes abscessus & sæva abierunt ulcera, ut duodeviginti hebdomadas in istorum curatione insumserit Chirurgus, reliquereque tam turpes magnas cicatrices, ac si prægrandi aliquo tormento bellico fuisset ictus; superato morbo capillorum defluvium oritur, adhuc bene valet, *XXVII. Aug.*

*Sicq; novæ & firmæ rediêre in pristina vires.*

## OBSERV. CIIX.

XXIIX. Aug.

UNica filia, à peste, fratribus, sororibusq; omnibus mortuis, reliqua aliquot septimanas à suorum morte in infectis ædibus sana moratur, tandem etiam corripitur pestilenti hoc malo, vomebat sæpius, intruditur suppositorium, infunditur Clyster, epithema prægressis sudorificis aliisque alexipharmacis ventriculo opponebatur, verùm frustra omnia, modicè æstuabat, vigilabat, de nullo dolore conquerebatur, carbunculum parvum in pectore habebat, qui nec ad maturitatem tendebat, nec discuti poterat aut siccari, lividus erat, qui color funestus plerumque est, multum operæ impendimus, ut servaremus unicam hanc Matris spem,

*Sed nihil invito medicamina numine prosunt,*

Imò ne hilum proficiebant medicamenta, ita oppressus nativus calor erat, ut in actum deducere medicamentorum vim nullo modo potuerit sed quasi torpida oblivíscebatur omnis sui muneris.

## OBSERV. CIX.

XXIIX. Aug.

PRimarius quidam familiam suam in pagum ablegat, ut ibi liberiore fruerentur aëre, minusque à contagio tangerentur, Non diu ibi subsistunt, & ecce ancilla ibi ex bubone in inguine incipit ægrotare. Illico mittit dominus rerum suarum satagens eò medicamenta, quibus utatur ægra, reliqui verò in magnis angustiis positi petunt consilium, num ibi morandum, an civici lares repetendi iterum sint. Posterius placet. Reversi iterum in civitatem nullum unquam incommodum senserunt. Ancilla etiam in urbem delata paucis diebus convaluit. Hanc venenũ vel in corpore vel vestimentis secum urbe exportâsse verosimilius est, quàm quod in pago ab omni contagio libero id contraxerit. Cito debet fugere, qui fugâ sibi salutem quæsiturus est, post occasio calva.

## OBSERV. CX.

XXIIX. Aug.

VIdua, cujus maritus, Scholæ collega, paucas ante septimanas peste diem suum clauserat, eodem malo graviter affligitur, superato morbo succedit ophthalmia sicca utrumque oculum multum fatigans, rubebant intensè oculi, ardor aderat & pruritus, nec lumen poterat ferre, quapropter velamine oppanso illud arcere cogebatur. De secutura omnimoda cæcitate valde angebatur, nihil ferè videbat. Vocatus lene exolvens ipsi impero, refrigerantia; humectantiaque ipsi præscribo non omissis ophthalmicis, tandem recepta luminis usura recepit quoque integram, quam pene amiserat, sanitatem.

OB-

## OBSERV. CXI.

VIrgo parvæ staturæ macrique corporis, viro tamen matura, corripitur horrore, dolore capitis, vomitu, in affinis sui ædibus, cum hæc accidentia ipsam invadunt, tum commoratur: verùm cùm ipsæ ædes minus essent spatiosæ propriisque domesticis sic satis refertæ, eodem vespere post crepusculum currui imposita pluvioso cœlo ad paternos lares vehitur, ibi lecti tepore excepta hausto sudorifero sudat, manè iterum egregiè, erumpit bubo in inguine satis magnus, maturatur processu temporis, sed aliquot septimanas periculosè decumbit, sanatur, verùm tantam incurrit maciem, ut à plurimis pro phthisica judicata sit, quâ macie quoque elapso sesquianno periit. *XXIIX. Aug.*

## OBSERV. CXII.

IN Stoicorum paradoxis est, ei, in quo virtus sit, nihil deesse ad beatè vivendum, & solum sapientem divitem esse. Ita mihi videtur fuisse dives ille, qui aurum & argentum, cum ipsi offerebatur, non accepit à Samnitibus acerrimis Romanorum hostibus *M. Curius, contentus vasis suis fictilibus & rapis. Ita Aristides Atheniensis, qui cæsis Parthis totâque Græcia subacta victor quidem, sed pauperior, quàm profectus est, domum rediit, cùm tamen facilè opes accumulare ex censu Græciæ potuisset.* Ita *Phocion*, qui Alexandri M. ingentia oblata munera repudiavit. Et quid ita inhiandum divitiis? Sunt enim juxta *Isocratem orat. ad Demon. magis vitiorum quàm virtutis ministræ, cum quod ignaviæ facultatem offerunt, tum quod adolescentes invitant ad voluptatem. Et ut longæ vestes corpora, ita immodicæ divitiæ animum impediunt, est in com. ad cap. VIII. Senec. de Tranquill. animi* quod caput meretur legi. Et *XXIIX. Aug.*

*Dives divitias non congregat absq; labore,*
*Non tenet absq; metu, non deserit absq; dolore.*

Vir mediæ ætatis dives & avarus egenus corripitur lassitudine & tussi, aliis symptomatibus caret, cùmque in corporis habitu nihil appareret pestilentis, contagium se accepisse, ut crederet, induci non poterat, ob membra hanc movendi ignaviam operibus suis domesticis, quibus aliàs noctes dies præter necessitatem tenaciter inhærebat, interesse minimè potuit. Vocor, curatur modo, quem alias observavimus, nec melius multò, nec tamen pejus habet. Die quodam, cum manè ipsum in visito, res ejus adhuc mediocres erant, circa horam septimam vespertinam quandam me accersitum mittit, renuncio, me jam cænaturum, cursitationibus me ita defatigatum, ut vix pedem pedi præponere potis essem. Ille contra

inſtat acriter, ut veniam, eſſe de quibus neceſſariò conſilium exquirendum eſſet meum. Eo, propter Cordis anxietatem nihil illum mutatum offendo: tum quærit, num eo veſpere ſacram Euchariſtiam ſibi porrigi ſuadeam, annuo, eâ nocte moritur æger, qui ſe verè ægrotare non putabat, quemque nemo hoc malo moriturum unquam crediſiſſet; ita tacitam improvidæ naturæ ſtruit perniciem peſtilens virus. Nunquam itaque ſecurus debet eſſe vel curans vel curandus. Ipſi aliàs in more fuit, etiam hiſce ipſis peſtis diebus, foliis tabaci convolutis & craſſè conciſis pituitam è crebro, pituitæ metropoli, elicere, ſed ceſſabat jam illorum operatio, unde pejus ſibi divinabat, & biduum ante mortem urina omnis ſtetit, quod funeſtum ſymptoma, quoniam nihil moleſtiæ ipſi creabat, me celavit.

XXIX. Aug.

## OBSERV. CXIII.

SUtoris cujusdam domus multum contagii ſuſceperat, & erat valde anguſta, omnes, qui in ea ſunt, extinguuntur, præter unicam filiam majorem natu, quæ ſuperat morbum. Dominus ſive Paterfamilias magnitudinem periculi animadvertens proripit ſe in aliam domum extra portam ſuis domi relictis. Ultimo tandem etiam uxor corripitur, curatur à Collega meo, ut & reliqui omnes, quo extincto itur ad me. Termino acutisſimorum morborum abſoluto, purgo eam clementer, melius habet, valde impurum corpus erat, in vado nos eſſe credebamus, in eo ſtatu permanebat aliquot dies, mens integra erat, urina, quam è longinquo monſtrabant, turbida erat, & talis mingebatur permanebatque, nec mutabatur ad quæcunque etiam medicamenta, loquitur ad ultimum vitæ articulum, inſperatò decedit. Fortè ita corrupti fuerunt humores ſanguisque, & univerſum corpus, ut reſiſtere ne tentare quidem potuerint corporis vires, quando enim vegetæ adhuc iſtæ ſunt, lucta major cum morbo eſt, quàm cum omnia ſe dederunt.

XXIX. Aug.

## OBSERV. CXIV.

VIR procerus & robuſtus, in ipſoque ætatis vigore conſtitutus veſperi cum uxore lectum petens alget præter ſolitum, ſequitur nocte calor multus, manè ſtatim clyſterem injici curo, nil operatur, ſupponitur ſuppoſitorium, reſpondet alvus voto. Primo die multum dormit, à ſudorifero in ſomno ſudat optimè, cum haberet corpus in ſudorem pronum, dolor capitis nullus, nullum ἐξάνθημα, non vomitus, non delirium, præter lasſitudinem totius nihil incuſabat. Altero die lectum

lectum permingit involuntariò, lotium erat nigrum, quod in hunc usque diem ut mihi nuper retulit vidua, ex linteis elui omnino non potuerit. Tertio die manè iterum ipsum inviso, subridens me accipiebat, & alterâ manu panem butyro illitum tenebat esturus illum. Lætabamur omnes, ad vesperam inopinatò moritur.

## OBSERV. CXV.

VIR ætatis statum vix assecutus bubone sub axilla sinistra corripitur, Illico accurrens uxor viri amantissima magno ejulatu subitum auxilium poscit, dicens, si sub dextra lateret bubo axilla non tam properè cordi noxam inferre posset. Deprehendo tumorem valde protuberantem, quod bonum signum est, pulsus magnus, verum non ita celer, mador totius corporis sentiebatur. Motum naturæ juvo propinato sudorifero ex Acet. Bezoart. Aq. Nuc. sudorif. cum bolo armen. & Terr. sigillat. momento, me non jubente sudat per integrum diem, minor fit tumor altero die, pulsusque remittit, julepum refrigerantem cum Alexipharmacis mixtum sumit, caput dolet, vigilat, iterum sumit priorem potiunculam sudoriferam, belle procedit sudor, & cum εὐφορίᾳ, pigrior alvus balano sollicitatur, sensim evanescit tumor capitisque dolor, imò omnis morbus. Num verum, sinistro latere propter cordis viciniam affecto periculosius ægrotare homines, quàm dextro? Ita videtur, Hippocr, enim ἐν δεξίοις plus caloris & roboris esse quàm sinistris docet. Verum Cor in medio situm est, saltim mucrone ejus ad sinistram declinante. Vide sis quæ accuratè in hanc rem scribit ὁ Πάνυ Conringius in verè aureo suo de Igne animali libro cap. XX. XXX. *Aug.*

## OBSERV. CXVI.

ANcilla non juvenis carbunculo corripitur in mamma sinistra cum aliis gravioribus symptomatis, quæ toties repetere supersedeo, ex superioribus illa patent. Mortem minabatur ille carbo totam ferè mammam ambitu suo complectens. Cum maturatur abscessus absceditque caro corrupta, ulcus tam amplum tamque profundum relinquit, ut costas subjectas conspicias. Multâ Chirurgi opera medicamentorumque internorum usu sanatur. Aliis, quorum cuticula tantum obsideri carbonibus videbatur parvique erant, iidem fuerunt funesti. XXXI. *Aug.*

## OBSERV. CXVII.

XXXI. *Aug.* ADolescens scholasticus statim cum ipsa pestis invasione delirat, carbunculos habet, calor intensissimus, sitis ingens, ea ipsa nocte fit phreneticus insomnis est. Statim, ac quis peste correptus est, quen quam delirare non memini me observare, præter puellam in obs. CXXIII. Conjicio ipsum vel pridie esse infectum, non sensisse autem præ incuriositate animi ve stupiditate, & morbo ex insidiis ipsum adoriente, quæ juncta isti ætati plerumque esse solent. Tertio die ad se non rediens vita decedit.

## OBSERV. CXIIX.

XXXI. *Aug.* PUer duodecim annorum, unica parentum spes, solatiumque in hoc miserrimo rerum statu unicum, (cæteri omnes fratres sororesque Charontis cymbæ erant illati, superâverat saltem uterque parens, graviter tamen etiam correpti, vix superabile malum) quem parentes, ut tutior à contagio esset, à se dimiserant, inque Affinis domum ad aviam ablegaverant, vespere sub crepusculo præferente ipsi ancillâ lucernam ad me venit sciscitatum, quale esset, quod in gutture, sive ipso Adami pomo, uti vulgò vocatur, (persuasum enim illi est pomi fatalis partem remansisse in Adami faucibus ex pœna divina, & ad posteros propagatam, est autem nihil aliud quàm cartilago Laryngis prima, græcè θυροειδὴς dicta, virisque magis quàm mulieribus (ob pulchritudinem) familiaris) haberet tuberculum. Considerans Ego tangensque illud spectante filio meo XI. tunc annorum statim deprehendo bubonis esse rudimentum, atque illicò, ut domum repetat lectumque jubeo, præscribo sudoriferum, à sudore alterans sumere jubebatur. Primo manè iterum mittunt me accersitum anxii parentes valdeque intumuisse hâc nocte collum indicantes. Observo non tantùm Adami pomũ multum increvisse, sed & sub mento bubonem radices suas sparsisse & video & manu palpo. De præscripto illum assumere jubeo, quantum sorbendo deglutire poterat, alteratur corpus egregiè, febrisque remittit, tunc in Analepticis cura multa fuit. Vocato Chirurgo discutientia initiò adhibentur intus & extus, ut caveremus ulcus, quod ex maturantibus necessariò successurum videbamus, sed sine fructu. Mutato itaque consilio ad maturantia omnis dirigebatur opera, quibus per plures dies usi eò perduximus refractarium tumorem, ut cum bonis ægri rebus tandem ruptus sit, atque ab utroque asperæ arteriæ latere versus gulam in ulcera desierit non absque præsenti ægroti peri-

periculo, quibus rectè curatis collum faucesque ex orci faucibus Deo benedicente feliciter extraxit cumq; parentibus suis adhuc bene valet.

## OBSERV. CXIX.

CHirurgus, quem præfecerat Magistratus noster huic operi, ut quoscunque ægrotantes visitaret, eosque quantum posset, juvaret, ex liene, ut putabat, cæpit ægrotare. Vocatus ex pulsu, virium prostratione, calore, vomitu, contagio ipsum affectum dico, quod, ut crederet, ægrè ab ipso potui impetrare; quia enim nec carbunculus, nec bubo in corpore apparebat, atque aliàs lienis affectui fuerat obnoxius, vetus malum hæc sibi creare accidentia firmiter credebat. Verùm succedente lipothymiâ, & fluxu colliquativo nimis serò sapuit morsq; ipsa fidē tandem ipsi extorsit. Audio ipsum valde affectâsse stygiū istum liquorem, quē Aquam vitæ (mortis penè dixeris, quamvis suâ non careat laude) nominant, eumq; in magna quantitate ingurgitâsse, ad ebrietatē etiam usq;, partim ne vacuo ventre in publicum prodiret partim ut animosior eo factus imperterritus obviā iret hosti etiam præsentissimo, quo cum omni horâ congredi officium suum ipsum compellebat. Quantò rectiùs, si *Socratem fuisset secutus, qui in ferocissima Attica peste solâ sobrietate se immunem præstitit*, ut testatur *Ælianus lib. V. variar. c. XV.* Multos sæpe potare vidi ejusmodi tabernas præteriens adustum illud vinum, haud dubiè magno corporis nocumento vitæque dispendio. Hoc tamen certum, quibus consuetudo est quotidie tales ardentes sumere spiritus, nihil aut parum nocuisse. *I. Septem.*

## OBSERV. CXX.

INter signa infectionis non immerito refertur & somni libido, nec tamen *fato concedunt omnes, uti Jul. Palmarius credidit, qui sopore torpescunt.* Adolescens XV. annorum initio morbi miro dormiendi tenetur desiderio, non horruit nec doluit capite, bubo aut carbunculus nullus, ideoque parvam sui curam habet. Mater tamen altero die sudoriferum ex Rob. Sambuc. & semin. nasturt. hortens. cum aq. Cardbened. & aceto ipsi porrigit, adhuc tenetur somni dulcedine, incipit delirare, vocor, deprehendo in utroque inguine bubonem & in genu flexura carbunculum, aliquot dies mens vacillat non omnino discussâ somni gravitate, affiguntur bubonibus cucurbitulæ sine scarificatione ad eos protrahendos, res bene succedit, interim diarrhæa supervenit aliquot dies durans, calor multus, sitis, quam & aliàs in alvi fluxibus ferè semper experimur, *I. Septem.*

val-

valde urget. Bubones & carbunculos ad ſuppurationem veniunt, magnâ cura & labore ſanationem recipientes, primùmque circa Bacchanalia anni ſequentis cura abſolvitur omnis, cruris affecti ingreſſu recto nonnihil vitiato.

I. Septem.

## OBSERV. CXXI.

COllega Scholæ Catharinianæ laborat peſte, carbunculis & bubone affligitur, non usque adeo periculosè decumbere viſus eſt tum ſibi tum aliis, ideoque absque medico curatur. Poſt aliquot dies in ſubſidium venio ſollicitatus, deprehendo omnia in mediocri ſtatu, verùm latebat anguis in herba, ultimum enim quod mihi aperiebat, omnium primò ſui curam poſcebat, eratque ἰσχουρία lethalis, querebatur ſe jam per duos tresve dies ne guttam lotii emiſiſſe, deque omnimoda urinæ ſuppresſione multum anxius iſtius unicam promotionem ſollicitabat; Verùm irrita omnia, ſexto vel ſeptimo ab urinæ ceſſatione ceſſavit & æger ulterius eſſe inter homines. Conſideratione certe dignum, quâ factum, ut non urſerit urina, diutius & ad aliquot dies retenta. nec abdomen aut ſaltem pubis regio in tumorem abierit, nec increverit calor totius, de nulla moleſtia alia conquerebatur. Cauſſam hujus in peſte ſuppresſionis innuere videntur *Holler. & Deſider. Jacotius in Comment. in Hippoc. Coac. §. V. l. I.* *Hollerius* ita inquit: *Contingunt urinæ retentiones in acutis emortuo calore veſicæ & perfrigerato nervo, qui in veſicam diſtribuitur. Jacotius pluribus ejusmodi Iſchuriæ cauſam explicat,* recidit tamen res ad idem merentur illa legi l. c. huc transſcribere illa nil attinet. Urinæ ſuppreſſæ cauſſa varia recitatur ab *Heurnio in Comm. Aph. Hipp. Aph. LXXXII. ſ. IV.* Addit ibidem in fine: In omni ſuppresſione urinæ, ſudoris, vel diarrhϾ fit palindrome ad venas, ſymptomaticaque translatione cerebrum afficitur, ſi tres quatuorvé dies ſupprimantur. Quorum tamen nullum hîc evenit, neque in aliis, quos hoc accidente correptos novi.

7. Septem.

## OBSERV. CXXII.

AD paſtorem quendam vocor, quò cum venio, mitius adhuc cum ipſo agi deprehendo, nec enim dum gravia ſymptomata animadvertuntur, pulſus celerior erat, capitis dolor paucus, valde tamen languebat, appetitus ſicci omnis dejectus, ſitis contra auctior, ſomni vacuitas, bubo in inguine parvus. Satis diligens erat aliàs ſuæ ſanitatis obſervator, mollioris tamen animi corporisque. Et quia incolumitati ſuæ optimè conſultum voluit, iſtius debitæ curæ fructum uberrimum tulit,

lit, reconvalescentiam scilicet à morbo aliàs fatali: cumque corpus suum à pravis humoribus purgaverit præservantibusque nonnihil se munierit, medicamenta etiam finem suum eò optatiùs assecuta sunt. Ipso vespere eliciebatur sudor, die sequenti manè secabatur vena, iterum sudat, bubo ad maturitatem non poterat disponi, alterantia cordialia integram tandem absolverunt curam, atque ita sanitati suæ redditus eâdem adhuc fruitur. Hic primus est ex omnibus nostris verbi divini ministris, qui pestilentis aliquid passus est, cùm tamen & illi multum sæpe sæpius periculi in porrigenda moribundis sacra ἐυχαριστία subierint.

## OBSERV. CXXIII.

Vidua Juvenis honesta proborumque morum duas filias habebat, alteram octo, sex alteram annos natam: natu major in domûs area cum matre sedens absona & ridicula loqui incipit de nihilo aliàs questa. Mater sagax aliquid subesse suspicans mali statim me accersit, præscribuntur sudorifera, alexipharmaca, alia: sudat, post sudorem bubo in gutture, duo carbunculi, alter in maxilla, in fronte alter erumpunt, increscit multum ille in gutture bubo & calor, parum, & cum tolerantia vomit, quarto die tentatam prius aliquot epilepticis insultibus *ipsam in ipso vitæ apparatu vita destituit*, ut loquitur *Seneca l. de Brev. vitæ cap. I.* Dum in agone hæc est & altera natu minor corripitur, calor multus est, & nihil in corpore, quod oculis usurpari potuisset, apparuit, saltem de dolore sub axilla conqueritur, plus evomuit alterâ, & hæc ultimis morbi diebus epilepsiâ agitatur, injicitur clyster, educitur copiosa nigra materia, sub mortis hora paucæ lividæ emergebant maculæ. Iterum dico: Epilepsia, quæ protracto morbo supervenit, periculosior est, & ἐπὶ τὸ πολὺ lethalis, secus illa, quæ cum incipiente morbo incipit, hæc sæpissimè terminatur ad salutem. *I. Septemb.*

## OBSERV. CXXIV.

Dixi non semel, multos, cum satagerunt nimis curiosè, declinare pestem foribusque suis arcere omni arte, in ipsa viscera traxêre eam, viribusque ex immoderato prophylacticorum calidorum usu fractis admisso hosti ampliùs resistere non potuerunt, sed arcem vitæ, Cor, ipsi dedere coacti sunt. Civis juvenis procerus & macer, calidæ & siccæ constitutionis, valde anxius de peste vitanda aliquoties consilium à me petiit, verbis scriptisque idipsum ipsi dedi, additâ maximè necessariâ *II. Septemb.*

 cau-

cautione, ne nimium calidis, quibus illum delectari sciebam, uteretur. Verùm is nauci, quod dederam, consilium habens aliud conficit remedium, quod sibi communicatum ajebat cum gloriosa commendatione & infallibili sperato successu. Concinnatum id erat ex multis calidissimis pipere, calang. Zed. Angel. Bol. armen. terra sigill. &c. hæc in spir. vini infusa iterum destillat, & non tantùm suæ domui, verùm etiam aliis destillato isto prospiciebat, quotidiè de hoc sumebant & sudabant. Verùm enim verò tantùm abfuit, ut præservare se eo modo potuerint, ut etiam omnes ejus domestici pestilens virus affatim hauserint, eoque omnes sint mortui minima saltem puellâ paucorum annorum ægrè ex morbo convalescente. Vir iste, cum inficitur contagio, jubet me accersiri, invenio ipsum in area ambulantem & plorantem atque in maximis angustiis constitutum, non tam ob morbum, quem jam contraxerat, quam deplorandum domesticum statum, quidam enim suorum jam obierant morte, uxor in agone erat, liberi superstites omnes decumbebant: detracto indusio in humero anthracem mihi monstrabat boni coloris, nullum aliud ἐξάνθημα in corpore ejus memini me vidisse, vires omnes attritæ ex sæpius iterato sudamine, brevi moritur. Monitis meis quod non paruisset seriò, sed serò, dolebat.

## OBSERV. CXXV.

*II. Septem.*

ÆDituus triginta annos paululum superans gravissimè affligitur peste, carbunculi & bubones erumpunt absque alleviatione, somnolentus erat, taciturnus, calor multus, delirium, absque omni cibo, ut plerique omnes, vivebat,

*Accensamq; levant pocula nulla sitim,*

febris putrida magna erat, superat tandem morbum ruptique bubones & carbunculi longo tempore consolidantur. Cum cæpit hic meliùs habere, uxorem ejus apprehendit contagium, etiam non absque periculo, carbo in mamma, bubo sub axilla, ingens ex ingenti calore sitis,

*Hausta nec alliciunt dulces medicamina somnos,*

ad exhibita optimè sudat, facies rubebat ex magno æstu, vi morbi insueto naturæ ordine menses exprimuntur, evadit & hæc tandem ferè ineluctabile malum.

## OBSERV. CXXVI.

SEnatoris cujusdam uxor multâ oſcitatione & pandiculatione inſuetâ corripitur, ſequitur capitis dolor artuumque gravitas, nihil erumpit à ſudorificis expellentibusque aliis in corpore, quàm parvus in inguine bubo magnitudine nucem regiam vix æquans, plurimis præternaturalis calor ægram fatigat, inſomnis ferè eſt, alterantibus frigidis remittit calor. Quodam die me inconſulto ad expellendum magnificiendumque bubonem vinum bibit enulatum, quod multis in more poſitum erat, increſcit ita calor, ut de vita ejus ferè actum fuiſſet, non fit major bubo multò minus ſuppuratur, ſed pedetentim reſolvitur in auras, priſtinamque recuperat ægrota ſanitatem. *II. Septem.*

## OBSERV. CXXVII.

QUartanam Scandalum vulgò dici opprobriumque medicorum, vel quilibet mediaſtinus novit. Verùm non tam ſæpè ſui ratione ita dicitur, quàm ipſorum medentium culpa, aut ægroti aliquo errore, dum enim obſtinatè nimis & ſeverè ipſam tractant, voluntque in ſemine jugulare pullulaſcentem ſobolem τῆς ὑγιείας Conſulti, ſæpe ipſum quartanarium jugulant, quæ tamen febris ex ſe *neminem jugulare* dicitur *Celſi* effato, & teſtimonio *Hippoc. l. I. Epid. ſit* ἀσφαλέστατος πάντων καὶ ῥήιστος, ſecuriſſimus omnium & facillimus. Mitiùs ſecum agi poſtulat illa, ſolumque raparum decoctum ex Cratonis ſententia, aut balneum aquæ dulcis (non neglectis tamen aliis per ἐπιχείρησιν adhiberi ſolitis) ſæpe numerò plus efficit, quàm vel ingenioſiſſimè excogitata & vi ignis ſæpe ſæpius ſubtilior reddita mixtura, Elixir, Tinctura, aut quid aliud, licet magnificè talia commendentur plurimis. Puer Vietoris X. annorum laborat quartanâ integrum penè biennium, quæ tamen ætas iſti humori producendo inconveniens exiſtimatur, etiam tum eâ affligitur, cum peſtis ſementem ſuam hîc ampliſſimè projecerat. Quando corripitur puer peſte, tunc ceſſat quartana per tres ſeptimanas, quibus integris cum peſte ipſi res erat, elapſis tribus iſtis peſtilentialibus hebdomadis repetit quartana ſuum typum continuatque in quadrageſimale uſque tempus, quo tandem miſerâ morte diem ſuum claudit. Poſt ſuperatam peſtem à Cachexia per febrem inducta venter ſenſim intumeſcit non advertentibus parentibus, cum multum diſtenderetur abdomen rogatu cujusdam Conſulis eò ipſum contemplatum, inſtar Aſcitici jacebat, penis & ſcrotum intumuerat, medicamentis applicitis detumeſcit aliquo modo *III. Septembris.*

 puden.

pudendum,ut & abdomen, spes certa recuperandæ valetudinis erat, & ecce tumidus umbilicus aperitur sponte, magnamque puris & saniei copiam profundit, succedit gangræna cruris,altero die insperata mors. A latente musculorum abdominis abscessu pus profluxit.

## OBSERV. CXXIIX.

*III.Sept.*

Contrectare pulsum aut corpus, cum sudant ægri, aut malitia morbi madescit cutis, summè periculosum est, tum enim patent pori,exituro contagio panduntur fores,facilèque illud in contrectantis cute, cùm viscidum quid insit madori, hæret, & brevi mediantibus venis & arteriis universo communicatur corpori. Tale quid sibi accidisse etiam in mitiori febre maligna narrat Cl. Simon Paulli in παρεκβάσει sua. Simile exemplum in Peste observatum recitat Helmontius. Ex eadem caussa & eodem planè modo pestem lethalem se contraxisse aiebat Collega meus Jordanus cujus observ. CV. meminimus, in exploratione enim cujusdã infecti pulsûs sensum quasi formicantem se percepisse in digito narrabat, cui successit corporis languor & virium prostratio, ut fusiùs dicto loco docuimus. Pastor in primo senio constitutus & cacochymus, quales *omnes Senes* prædicat *Fallop. l. de Ulceri, c. VII.* dum cuidam morte præ foribus ejus operiente sacram εὐχαριστίαν porrigit,ægerque abiturientis manum manu suâ sudore fatali madidâ arctiùs comprimit, metus incutitur Pastori verèque se infectum planè opinatur. Domum itaque properans illico curat me accersiri, quò cum venio, pulsum nonnihil celeriorem deprehendo,in cute nihil observo,unicum manûs digitum ajebat, molestè & impeditè moveri. Appono vesicatorium carpo, ligatur digitus, emplastro defensivo brachium defenditur, materia pestilens per venas ascensura intercipitur, sudat, manè melius habet, ut etiam postridie in æde sacra sacris præesse potuerit. Diebus paucis interjectis alio afficitur malo, podagra nempe & doloribus ventris scorbuticis,

*Mortem orat, tædet cæli convexa tueri.*

Tertiâ vel quartâ septimana onerosi corporis vinculis exclutus ad cœlum suum & speratas beatorum sedes migrat.

## OBSERV. CXXIX.

*III.Sept.*

Virgo robusti & compacti corporis durorumque lacertorum magno bubone laborat in inguine, æstuat,

*Nec cibus ora juvat, nec mulcet lumina somnos,*

Bene sudat, ficcioris alvi est, menses prodeunt morbi vehementiâ, quo-

quorum tamen fluxum ante quartum supra decimum diem perpessa erat, divina ope & medicamentorum diligenti usu ægrè tandem evadit rupto abscessu consolidatoque.

## OBSERV. CXXX.

IV. Sept.

VIginti annorum virgo mediocriter laborat, nauseat, vomit interdum, carbunculos & bubonem habet, mente bene constat, parum dormit, medicamentis, quæ ægrè sumebat, parum proficitur, secatur vena mox initio, nec bubo, nec carbunculi ad maturitatem tendere videbantur, imò potiùs livebant, subsidebantque, ex astantium numero nemo ipsam hoc morbo morituram opinabatur, quæ tamen præter exspectationem inter loquendum exspirat placidè.

## OBSERV. CXXXI.

IV. Sept.

VIR constantis ætatis magno aqualiculo onustus horrorem patitur, (rigorem non me observare memini) subsequitur levis capitis dolor, statim de sua præservante potione ex vino, vel etiam spiritu vini multis aromatibus calidissimis imprægnato, quam plurimi irreparabili suo damno, ut supra notavi, biberunt, dosin sumit, & lecto se committit sudorem exspectaturus. Verùm stragula lectique operimenta ob corporis molem non erat ferendo, multo minus sudorem, quo tamen in statu sanitatis tantum non diffluebat, prolicere potis erat, hinc altero die cum vocor in magnis angustiis ipsum offendo, altè spirabat, circa caput saltem sudabat, qui sudor fallax admodum est, & hîc, & in aliis morbis acutis juxta *Hipp. Aph. IV. s. VIII.* sitiebat valde. Præscribo potionem refrigerantem alexipharmacam, & suppositorium ano indendum: Sequenti die res ejus in melius vergere videbantur, ast quia medicamenta negligebat, subsequebatur mentis emotio, somno profundo tenebatur, ulterius nil potuimus efficere, ideoque brevi mortuus est nullo vel bubone vel anthrace in corpore apparente.

## OBSERV. CXXXII.

IV. Sept.

CUjusdam Uxor corripitur contagio, æstuat valde, bubonem in inguine habet & carbunculum in humero, statim loqui desinit, in somnum perpetua proclivitas, jacet disjectis membris, qualis decubitus in malis ducitur Hippocr. Apoplecticâ non erat, quia poterat se movere, difficulter tamen spiritum ducebat. Secabatur vena, glans suppone-

ſupponebatur alvo, cordialibus alexipharmacis res omnis agebatur, ſed incaſſum omnia, corpus nihil movebatur ad medicamenta, ſed tanquam evictum victori ceſſit longumque vale dixit, viro, qui vehementer etiam atque etiam ipſam deperibat, triſtiſſimo relicto.

## OBSERV. CXXXIII.

IV. Sept. CUjusdam clari Conſulis vidua, craſſi corporis & valetudinarii, doloribus imi ventris affligitur cum ructibus multis, credit conſuetum ſibi affectum hoc accidens creare, cum multoties ex utero flatibusque uterinis laboraret; Et cùm nec horrorem paſſa eſſet, nec quid præter naturam in corpore appareret, nota & ſueta hactenus remedia tentat. Altero die caput gravatur, crus alterum dolere, dum extendere illud conatur, incipit, me, ad ſe ut veniam, ancillam petitum mittit, Quamprimùm poſſum ex amore in laborantis defunctum maritum, qui dum vivebat, erat mihi magnus Amicus, eo ad illam viſendam, ſtatim apparebat peſtilenti contagio ipſam decumbere, pulſus languidus, vires oppreſſæ, conquieverant ventris dolores, parvus in inguine bubo tangebatur, ad ſudandum vires non ſufficiebant, tertio die morbo abſumitur. Ita clanculum obruerat vires virus peſtilens & ſub ſpecie noti morbi, quod pluribus obtigit, ipſam invadit.

## OBSERV. CXXXIV.

IV. Sept. DEcem-viri cujusdam ſervus robuſtus carbunculis carbonibusque inficitur, ſecundo die vehementer incipit delirare, fores effringere, diſcindere induſium, lectum omnem hinc inde in cubiculo projicere: nonnunquam quaſi ſe ſurripiens ſub ſponda nudus ſe abſcondit, & multa alia abſona agit, ut Ego ipſi appropinquare nunquam fuerim auſus, porriguntur ipſi medicamenta, quæ nonnunquam aſſumebat, quandoque rejiciebat; nihil proficiebamus, ideoque ſibi relictus, &, ne vim corpori inferret, bene cuſtoditus tandem carbonibus bubonibusque ſponte ruptis feliciter ſanatur.

## OBSERV. CXXXV.

V. Septem. HOneſti cujusdam civis domus ſalubri ſita loco & ſatis ſpatioſa multum veneni contraxerat, ita ut omnes ſex liberi & duæ ancillæ peſte correpti eâ extincti ſint. Omnibus his mens manebat integra & expeditè loquebantur, nec de doloribus ullis ulla querela erat, non vomebant, carbunculi nulli, bubones quibusdam in inguine altè latebant.

bant. Cuidam ex illis parva pone aurem parotis erat, parum dolebat, tertio morbi die inter preces non advertente patre placidè æternùm obdormit. Alius paucis ante obitum horis Epilepsia correptus discedit ex vita. In filiarum una hoc erat notabile, quod cum biduum decubuisset, quasi superato morbo poscit cydonia mala, quibus aliàs fortè delectabatur, non tamen porriguntur ipsi, altero die de nova cordis anxietate queritur, vomit merum sanguinem concretum longitudinem digiti excedentem, parva intercapedine interjecta ad eundem modum vomit, instantem prædicebat vomitum, & ejusmodi sanguinis vomitio quiquies vel sexies ægram exercuit, postea inadvertenter blandam exhalavit animulam. Unde hîc sanguis? In ventriculo concrevisse illum & in talem figuram coivisse extra dubium est, ex qua autem corporis parte primùm provenerit, non certò possum στοχάζεσθαι.

## OBSERV. CXXXVI.

Scholasticus quidam juvenis parotide laboravit, tertio die mortuus est. Ita & discipulo ejus novem annorum dextra colli pars sub aure intumuit valde, itidem tertio die extinguitur. Soror XV. annos nata continuo vomitu laborat, mente mota erat, in inguine bubonem magnum habebat. qui suppurabatur, aliquot mensibus non fuit consolidatus. Alter filius laborat per multos dies & vigiliâ & delirio, inguen alterum bubone obsidebatur, maturatur, æstuat æger multum, conservatur. *V. Septem*

## OBSERV. CXXXVII.

Uxoris cujusdam ingenui Civis legitimus partus terminus instat. *VI. Sept.* pridie ante partum carbunculum accipit absque ullo alio graviore symptomate, altero die feliciter parturit, bene procedunt lochia, pejus habet, sudationibus nullus locus, cordis anxietas magna, somni carentia, paucis diebus moritur, relicto infante, qui adhuc, dum hæc scribo, bene valet. Cùm quodam die eam invisito, maritus ostensâ macula in pectore quærit, quid id sit? respondeo carbunculum pestilentem esse, moneoque ut sibi caveat ab externo aëre, lectoque se committat ad sudandum. Ille perterritus reponit, se jam biduo ipsum habuisse, monito tamen parens lectum petit, medicamenta idonea sumit, omnia ad pejus declinant, ex conjugali amore ad Conjugem suam pergit juxta eam in lecto eodem cubans, ægrè ab latere ejus avelli poterat, delirium cum risu ipsum continuò agitat, insomnis est, bubo in inguine erumpit, nec

nec bubo, nec carbunculus ad maturitatem tendunt, tandem fatis cessit, cui omnes dies longiores precabamur, parente Consule Sene mæstissimo relicto, qui orphanos istos pusillos adhuc sustentat educatque liberaliter & paternè.

## OBSERV. CXXXVIII.

VI. Sep. ÆDitui filia annos XIIX. nata horrore corripitur levique capitis dolore. statim succurritur ei medicamentis, secatur vena, largiter sudat, nihil in corpore, quod vel tactu vel visu deprehendi poterat, exit, crus sinistrum universum intolerabiliter dolet, adinstar Arthritidis scorbuticæ, præter dolorem nihil in eo conspicitur, cutis reliquæ cuti incolor, apponebamus cruri Empl. vesicatorium, sed nihil præter serum subcutaneum extraximus. Non lethaliter visa est decumbere, verùm indies decrescentibus viribus, fractis partim continuis doloribus, partim veneni vi, omnia ad interitum spectabant, qui etiam septimo ab invasione morbi die obtigit puellæ, parentibus suis charissimæ.

## OBSERV. CXXXIX.

VII. Sep. VIrgines duæ Patriciæ eodem tempore peste laborant non admodum periculosè, altera in mamma carbunculum habet, in inguine altera bubonem, suppuratur carbo, sed non altè exedit carnem, diu manet apertus tenui sanie madidus. Bubo ad maturitatem perduci non poterat, tamen vesicatorio nonnihil humoris extraximus, longo tempore anxiam tenebat hic tumor virginem & matrem pro filialibus suis maxime sollicitam. Absque Chirurgi manu curatur utraque præscriptis Empl. & unguentis ad rem accommodis, adhuc bene valent. Haut aliter ferè decumbebat in ipsis illis ædibus ipsarum ancilla, quæ etiam non multâ ope restituta est, solus Pater, ut erat à medicamentis alienus, ita serò me accersiri voluit, tertio nempe primum die, soporosus erat, nil loquebatur nisi interrogatus, præter carbunculum nil memini in corpore fuisse notatum, non discutitur somnus profundus, moritur.

## OBSERV. CXL.

VII. Sept. SUtoris Conjux admodum obesa, sani alioquin coloris, horrore afficitur, capitis dolore, calore non adeo magno, bubo erumpit in medio femore multum negotii exhibens ipsi ægrotanti & nobis, nulla arte ad suppurationem eum perducere quivimus, ad dimidium annum

num ipsum gestavit, antequam ex toto evanescebat. Crassi ferè omnes interierunt, mirum quod hæc evaserit, cùm mollioris sit corporis animique, humorum tamen vitiosorum pura.

## OBSERV. CXLI.

CAnonicus Senior cum conjuge sua curru vehitur extra portam fortè in pagum quendam exhilarandi animi ergò, ad vesperam repetit lares suos, verùm præter solitum fessus languidiorque, cumque descendente sole aër esset frigidior, isti adscribit horrorem, quem levem passus erat, nocte istac profundè dormit, manè vocor, adhuc dormit, mens erat integra, ex alto isto somno excitari non poterat, medicamenta, cùm mortem non multum formidaret, parum curabat, in corpore nihil præter naturam apparebat. Erat vir crassi habitus, nec usque adeò laudabilis constitutionis. *VII. Sept.*

## OBSERV. CXLII.

PRimarii Civis filius communi invadendi modo à peste patitur invasionem, caput nempe dolet & horret, succedit magnus & æstuans calor, bubo erumpit sub axilla sinistra parvus, vigilat, supprimitur alvus, delirat, bis sudat, non melius habet, humescit alvus injecto clymate, calorque refrigerantibus mitescit. Dare somnifera ut parentes postulabant, initiò consultò abstinuimus, exemplo quod pejus plerumque ægrotantium res exinde evaserint, datoq; soporifero in inexpugnabilem dormiendi necessitatem conjecti sint, vel quod per somnum se insinuavit penitioribus cerebri partibus virulenta materia, vel quod calidum nativum in somno citius oppressum virulentæ materiæ subigendæ vel expellendæ haut suffecit. Paucis, uti superius indicatum, phreneticis in parva dosi & in principio data, oborto nempe sudore, profuêre. Bubonem ad debitam protuberantiam protrahere nequivimus, ideoque applicato vesicatorio & inuncto Elix. pestilent. Crollii cum partim μαλακτικοῖς, partim ἀραιωτικοῖς trium septimanarum spatio consumptus est absque suppuratione, atque ita æger integrè amissam penè sanitatem recuperavit. *IX. Sept.*

## OBSERV. CXLIII.

VIR modestus & probus circa panni lanei conficiendi rationem versans debilitate & doloribus capitis, quibus aliàs erat obnoxius, (vertigine sæpe corripiebatur) affligitur, lassitudinem patitur omnium *IX. Sept.*


omnium

mnium membrorum, non vomitus, non cordis anxietas, non carbunculus, non bubo. Fallax casus erat, quia tamen adhuc pestis latè grassabatur, dico ut peste affectum debere ipsum tractari, contra illi: & à sententia mea ferè dimoverunt me, jam secundus erat dies ab invasione, dumque ita disputabamus, vomitus succedit, petechiales maculæ, æstus circa præcordia, sudor ad caput, discussis istis bonam partem accidentibus tertio die melius habet, liberius respirat, parcius bibit, alacrius fit totum corpus. Quarto die vigiliæ infestant, sudat symptomaticè, manet mens integra, sexto morbi die concedit fatis.

## OBSERV. CXLIV.

*X, Septem.* UXor juvenis sana marito suo in lecto accubans circa crepusculū matutinum expergefit, calore præternaturali è somno excitata excitat & maritum, ex eoque quærit, num & ipse ita caleat, ut suum corpus, contrarium dum percipit, terrore percellitur, seque peste infectam verè sentit, mox parvum tumorem pone aurem & tactu & dolore percipit, increscit, æstuat, vigilat, menses, qui debito tempore fluebant, sistuntur, subito omnes corporis vires collabascunt, ut eas servare in nullius fuerit potestate, redeunt menses, paucis horis ab horum reditu inopinatò extinguitur. Maritus juxta eam dormiens nihil passus est mali, & in secundo conjugio adhuc bene sanus vivit.

## OBSERV. CXLV.

*X, Septem.* JUris candidatus Clari medici filius laboraverat per integrum annum Quartanâ, medicè tractabatur à Parente & modicè, diætæque certæ se adstringere jubebatur, famemque interdum pati, nihil tamen isto vivendi genere effectum est. Filius ab obitu patris sui juris factus susq; deq; fert diætam, suoque indulgens genio & gulæ sine discrimine quæque ingerit ad satietatem usque, dulcia, amara, acida, cucumeres cum aceto, facilia coctu, difficilia, contra quam *Horatius* monet *Satyra II. lib. II. Carminum*, prout Versus isti superius in Præfatione sunt allegati. Quid fit? brevi quartanam jugulat iste juvenis isto liberiore vivendi modo, quæ, ne se ipsum jugulatura sit, valde metuebat. Quartâ à febris cessatione septimana corripitur capitis dolore cum horrore, statim admonitus, quem hostem excepisset, ad me mittit consiliumque meum expetit. Evacuatis primis viis sudat optimè à sudore alterantia sumit, erumpit bubo sub inguine sinistro satis magnus, admodum ægrotat, elapsis tribus diebus melius habet, ad suppurationem visus est tendere abscessus, ideoque vocato

vocato Chirurgo cura istius bubonis committitur, ex aperto ulcere satis magna profluxit puris copia & diu, ab inflicto buboni vulnere tanti & tam immanes ipsum exercent dolores cruris affecti, ut manibus pedibusque reptitaverit in hypocausto. Hæc miseria non semel mihi movit scrupulum vel à ferro adaperiente bubonem, vel à turunda nimis altè intrusa, & hinc vel membranam vel nervum læsum dolores istos esse excitatos. Optimâ etiamnum gaudet corporis incolumitate.

## OBSERV. CXLVI.

*X. Septem.*

EOdem tempore laborabat & ipsius Soror plurimis pustulis in summitate albicantibus similibusque illis, qui in facie ex fervidiore epate & sanguine pullulant, præcipuè autem obsidebant collũ, pectus & brachia absque omni alio graviore symptomate, ita ut in considerationem & sub curam apud ægram non venirent, quibus tamen visis jussa est secedere paululum & lecto se dare, ex præscripto dein sudorifero bis tervé sudavit ex voto, & pedetentim evanuêre carbunculi omnes. Cum nitebatur brachium sinistrum attollere, dolebat id, & imprimis sub axilla, erupturi bubonis id erat signum, nihil tamen apparuit, sed illitis unguentis & oleis congruis disparuit & ille.

## OBSERV. CXLVII.

*X. Septem.*

MErcator juvenis ægritudine corripitur & lassitudine totius corporis, de exanthematibus nihil apparet, non dolet caput, non vomit, parum tamen dormit, nec multum sitit, bibit cerevisiam, cui panem intriverat cum orbiculis Citri. Nil præternaturale in corpore notabatur quàm jactatio corporis frequens & inconditus decubitus, nunc situm lecti pedibus destinatum capiti aptabat, contrà, ubi caput reclinare consueverat, pedes ponit,

Ἄλλοτ᾽ ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε
Ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής· τότε δ᾽ ὀρθὸς ἀναστάς.
*Nunc lateri incumbens, iterum post paulò supinus*
*Corpore, tum pronus, tum surgens, deniq; rectus,* Homer. Iliad. ω.

quod *proprium ægri est, nihil diu pati, & mutationibus, ut remediis uti secundum Senec. de Tranquill. animi c. II.* Sciscitanti mihi instabilis istius decubitûs caussam exprimere eam non poterat, nisi quod ad ventriculi superius orificium nesciens quid molestiæ se sentire ajebat. Nec sudoriferis, nec cordialibus potuimus liberare hominem ab incondito decubitu,

 pau-

paucos post dies excedit è vita. Laborabat unà & ipsius famulus, ille nimium dormiendo insensile ferè corpus effecerat, non videbat, non loquebatur etiam interrogatus, sed trunci instar jacebat, brevi quoque sequitur herum multis carbunculis & bubone defædatus. Hîc, ubi potûs actu frigidi meminimus, non incommodùm quæritur, an potus peste correptorum debeat esse frigidus, an calidus, aut potius tepidus? Actu frigidus placet, potus enim medicinales refrigerantes frigidi bibuntur, ut Julapia, cur non & Cerevisiæ tenues? Præterea calidis istis acciditur magisque rarefit calor noster naturalis, & effæminatur, potusque aliàs celeriter in nobis calefit, celeriterque διέρχεται, per corpus transit. Cùm contra ventriculus calore febrili æstuans, & viscera naturalia, partesque spiritales potius modico gaudeant contrariorum usu. Frigidum autem dum dico, intelligo illum, *qui tam* ἐνεργείᾳ, *quàm* δυνάμει, *& quidem* πρώτως, id est, καθ᾽ ἑαυτὰ διὰ μέσου μηδενὸς hoc præstat, ut has refrigerandi differentias notat *Galenus X. meth. med. c. X.*

## OBSERV. CXLIIX.

*X. Septem.* SEnator Sexagenarius statim dum corripitur omnis vis corporis dilabitur, anhelat, æstuat, vomit sanguinem, corrupti omnes humores videbantur, dolore nullo tenebatur, vigiliis infestabatur, sudorifera non poterat ferre, multo minus alviducum medicamentum ob lipothymias & subitam virium exolutionem, solis alexipharmacis & alterantibus ad tertium diem prorogatur ipsi vita, quà probè functus (erat vir pius & honestus) reddit eam, qui dederat ipsam, immortali Deo. Quo vix tumulo suo illato etiam vidua ejus inficitur, & quidem in labio superiore accepto bubone tam magno & informi, ut non modò universum malam dextram ad oculum & tempora usque deformaverit, sed etiam os ita distorserit, ut σπασμῶδη apparuerit, nec à quoquam agnosci potuerit. Brevi sequitur maritum.

## OBSERV. CXLIX.

*XI. Septem.* VIdua sexagenaria præter carbunculos patitur & bubonem, taciturna est & truculenta facie, acutè febrit, parùm dormit, medicamenta ægrè sumebat revomebatque sumpta: *Mentis emotiones taciturnas periculosas pronunciat Hippocr. in Coac.* Cùm propter mentis alienationem sudorifera imperare nequiremus, suppositoriis, & Alexiphar-

pharmacis res acta est, sed nihil proficiente ope medica, quinto die desiit esse inter homines. Ad unum omnes istius domûs incolæ peste perierunt, ita sæviebat ibi pestilens virus.

## OBSERV. CL.

*XII. Sept.*

VIri primarii Patriciique uxor amantissima in ipso ætatis flore constituta parvo bubone corripitur sub axilla sinistra, quem omni etiam ingenio, sive sudorificis, sive attrahentibus emplastris aut cucurbitulâ magnâ non poteramus protrahere, gravia symptomata non habet, leviter videtur febrire, pulsus languidus erat, sudor nonnunquam circa caput erumpebat, somnus parcus, mente non movebatur, elapsis paucis diebus exspirat relictis tribus pusillis liberis etiamnum superstitibus, nec memini quenquam in ista domo postea fuisse infectum.

## OBSERV. CLI.

*XII. Sept.*

VIr ordinis Senatorii robustus & magnus corripitur horrore, doloribus capitis soporiferis, (*κεφαλαλγικοῖς καρώδεσι Hippocr. in Coac.*) maturè discutitur sopor, bubo in inguine oritur, & carbo in digito manûs dextræ minimo, hic verè carbo erat, instar enim vivi carbonis urebat multumque doloris patienti inferebat, per vicem sudorem optimè eliciebamus, æstuabat valde, sitiebat multum, bubo procedente tempore maturabatur, diuque apertus manebat, tandem consolidabatur, superstite adhuc Viro Camerario.

## OBSERV. CLII.

*XIII. Sept.*

UXor jam memorati Camerarii corripitur peste & bubonibus in utroque inguine, succedit diarrhæa tam larga, ut viribus exhaustis multum de vita periclitaretur; quin & menstrua, quæ diu ante naturæ lege cessaverant, cursum repetunt desuetum, pro malo omine omne hoc duximus. Initio bis sudavit, postea adhibita fuit tinctura rosar. Bol. armen. Terr. sigill. nonnunquam & emulsio ex papav. alb. cum aq. appropriatis, evasit feliciter periculosam hanc Charybdim. Alter bubo longo tempore tandem ad suppurationem sponte pervenit, mulier ista integrâ adhuc fruitur sanitate. *Hippocr. in Coacis: Multum aquosa dejectio, non desinens, in acutis, mala: & præsertim si sitis abfuerit.* Verùm sitis hîc satis ingens, ideoque minus periculosa aquosa dejectio.

## OBSERV. CLIII.

XIII. *Sept.* SEnator quinquaginta annos natus bubone in inguine inficitur ſatis magno pugnum æquante, nullum conſiderabile accidens experitur, appetitus integer ferè perſiſtit, quod non memini mihi aliàs obſervatum, edit, bibit, abſoluto tertio die obambulat, bubonem curat emplaſtro Norimbergenſium, quod & maturat abſceſſum & rurſum conſolidat. Et ſic facillimè à peſte liberatur.

## OBSERV. CLIV.

XIII. *Sept.* EJusdem Senatoris filius XVI annorum febre peſtilente corripitur, in corpore univerſo nihil notatur alieni, de difficili queritur deglutitione, intra & extra collum nihil conſpicitur, quod notabile fuiſſet, parùm dormit, mens ei manet immota, calor multus erat, fauces excremento pituitoſo viſcido ſcatebant. Angina occulta erat, octavo die moritur. Non negaverim, quin Angina ad pulmonem verſa ſit, quod interdum fieri notat *Hippocr. in Coac.* dicens: Οἷς δὲ κυνάγχη ἐς τὸν πλεύμονα τρέπεται, οἱ μὲν ἐν τῇσιν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, *Quibus angina ad pulmonem vertuntur, quandoque in ſeptem diebus pereunt.*

## OBSERV. CLV.

XIII. *Sept.* MUlier ultra dimidium geſtationis tempus prægnans anxietates magnas, experitur, frequentibus vomitionibus, etiam inani vomendi conatu vehementer tentatur, admodum attollitur venter, vigiliæ vexant eam, corroborantia præſcribuntur, nihil promovetur vel morbus vel fætus, in immenſum diſtenditur venter, moritur fætu haut excluſo, cujus excluſioni tamen multùm inſudamus, cùm bene certi eſſemus de ipſo in utero extincto. Agitabatur non ſemel ſermo de ejiciendo fætu, ut matrem ſalvaremus: nolui tamen proletariis iſtis & duris hominibus aſſentiri, cùm valde dubium ſit, & res anceps, matrem *ejecto* vi fætu iri ſalvatum. Et quoniam hæc quæſtio magni eſt momenti adeoque ſcitu digna, juniores medici de hâc omninò admonendi ſunt. *Quemadmodum autem maximum & præcipuum munus fæminarum eſt*, inquit, *Vlpian. in L. quæritur §. 1. D. de ædilit. accipere & tueri conceptum, ita ſummum ſcelus eſt, abortui conciliando operam dare. Neque enim ab homicidio abit, ubi vita adimitur ei, cui non nos, ſed natura deusq; illam elargitur.* Ne dicamus, qui Chriſtiani ſumus, de ſanctiſſimo regenerationis lava-

lavacro, quo fœtus in peccato originali conceptus datâ operâ privatur. *Canones etiam, qui abortum procurat, & sterilitatis venena exhibet, homicidam esse ajunt, & mortaliter peccare, caus. XXXII. quæst. II. c. aliquando, & c: si aliquis X. de homicidio.* Quo respectu *in Synodo Constantinopol. VI. Can. XCIII. sancitum, tam eas, quæ propinant, quàm quæ assumunt abortiva, homicidarum pœnis subjiciendas.* Ita *Sixtus Pont. in Bulla, quam anno M. D. LXXXIIX.* publicavit, *eosdem simpliciter puniendos sanciit, ut homicidas, qui voluntarium homicidium actu patrârint.* An verò liceat promovere abortum, si prægnans acuto aliquo morbo laboret, nec subveniri posset ægræ sine fœtûs ejectione, quod quidam voluêre, & an conceptum nondum formatum, sive animâ rationali nondum informatum sine crimine ad salvandam matrem elici posse, jam videbimus. *Affirmant Canones capite sicut ex literar, XX. de homicidio, XXXII. quæst. II. cap. quod v. & cap. seq. Moyses. Silvest. Prierias verbo medicus, quæst. IV. Navarrus in manuali c. XXV non LXII. Nec delictum capitale volunt Carol. V. Imp.* **Peinlich Hals Gerichts Ordnung** *art.* CXXXIII. *& August. Elect. Sax. ordinat. part. IV. constit. IV.* Verùm enim verò omnibus hisce meritissimò opponendum illud *Divi Pauli, Epist. ad Rom. c. III. non esse facienda mala, ut inde eveniant bona, quod istorum damnatio sit justa.* Certum est, medicamenta φθόρια sive corruptoria, id est, ejectoria absque matris manifesto discrimine non posse adhiberi, ideoque rectiùs multò & commodiùs secundùm *D. Ambros. l. de Offic. si alteri subveniri non potest, nisi alter lædatur, neutrum juvare, & medicamenta talia tam matri quam fœtui sunt inimica.* De fœtu non animato ita habe: ut *abortu procurato vita tollitur animantis, ita nondum animato spes vitæ & hominis præciditur, arg. L. si quis §. qui abort. D. de Pœnis.* Et conceptus iste dispositionem habet & potentiam proximam ad animam rationalem formamque ultimam recipiendam. Audiatur *Tertullianus Apologet. Nobis homicidio semel interdicto etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet, homicidii festinatio est, prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui futurus est, & fructus hominis jam in semine est.* Vide quæ commentati in hanc rem, sunt *Ranchinus & Meibom. Comment. in jusjurandum Hippocr.* & quæ habet *Rodoricus à Castro de morb. mulier. l. III. c. XXII. Sennert. Prax. lib. IV. part. II. sect. V. cap. III. quæst. V. Heurn. Commento in Aph. Hipp. sect. III. Aph. I.*

OB-

## OBSERV. CLVI.

XIII, Sept. OMnis morbus acutus in gravidas incidens est funestus, inquit Heurnius in Commento Aph. Hippoc. sect. V. Aph. LV. quia si in curationem morbi incumbas, ipsum fœtum pessum dabis. Quod verum esse experta est & alia juvencula gravida, quæ corripitur plurimis carbunculis & petechiis, multum anxia est, somnus abest, hinc inde in lecto se projicit, per intervalla nares stillant sanguine, nihil levatur, ad quartum diem sic cum morbo colluctatur, tandem abortit, quo immaturo fœtu excluso excludit simul quoque ipsam animam.

## OBSERV. CLVII.

XIV, Sept. PUer septimum jam completurus annum nocte incipit ægrotare, manè vocor, invenio ipsum anxium, æstuantem, pulsus ipsius erat celer & magnus, nec carbunculus, nec bubo, nec maculæ ullæ in corpore conspiciebantur. Præscribebam pulveres cordiales expulsivos, sudor in tam tenera ætate largè fluebat medicamentis excitatus, partim etiam sponte naturæ, sitim aquis cordialibus è f. Acetos. Cardbened. Scabios. Borragin. cum Acet. Bezoartico restinguebamus, additis quibusdam, quæ fermentationem nimiam sisterent, ut C.C. ust. præparat. Corall. rubr. præparat. Perlis præparatis. Res ex voto cessura videbatur, omnesque omne sperabamus bonum, ast ecce, spe inopinatò cecidimus, tertio enim à morbi insultu die Epilepsia tam vehemens ipsum corripit, ut tertio quartové paroxysmo elegans puer parentibus suis desideratissimus vitam hanc suam cum altera commutârit.

## OBSERV. CLVIII.

XIV. Sept. MUlier peste laborans in inguineque bubonem gerens graviter decumbit, calor magnus circa præcordia & faciem, quæ etiam intensè rubebat. Circa initia morbi, quæ fuêre acta, ignoro, cùm eo tempore medicinam ipsi non fecerim, sed postmodum vocatus bonam curæ partem in restinguendo immodico calore insumpsi, aliisque quæ ipsam urserant, accidentibus planè abigendis. Verùm novus & non exspectatus succesit hospes, affectus scilicet circa oculos & præsertim sinistrum, quo ferè nihil videbat, aëremque & lumen ferre minimè poterat, propterea oppansum pannum supra oculum gerebat, scintillulæ in oculis apparebant, non multum tumebat sinister oculus, cum calore rubebat. Correximus hoc iis, quæ sanguinem fervidiorem temperant, etiam

etiam apposito nuchæ vesicatorio ad retrahendam materiam ad oculum jam fluxam & intercipiendam eam, quæ ulterius fluxura erat. Ægrè curabatur hoc malum, ut de lucis usura reducenda non semel dubitaverit ægrota, quâ tamen etiamnum acutè videt.

## OBSERV. CLIX.

Servus cujusdam mercatoris robustus non admodum periculosè videtur decumbere, præter lassitudinem totius corporis nihil incusat, altero die bubo in inguine protuberat, edit patiens quandoque pomum assum, injussus tamen, vigiliæ quoque ipsum molestabant, sed interruptæ, calor ad tactum modicus, optimè ratiocinabatur, parum bibebat, ita ut jurâsses hunc certo evasurum periculum. Sed, ecce, inter loquendum contra omnium opinionem placide obit vix conspecto ullo mortis signo. *XV. Sept.*

## OBSERV. CLX.

Vidua ætatis provectæ primaria superficialem saltem & levem sentit horrorem, statim me accersiri jubet, ut erat rerum suarum satis cauta, pulsus febrilis deprehendebatur, calor modicus, somnus moderatus, parvus bubo in inguine oritur, aliud nullum grave patitur symptoma, paucis usa medicamentis convalescit bubone in auras evanescente. Jam tum duæ fæminæ juvenes ex illa domo terræ mandatæ erant, & hæc septuagenaria vitæque satur superesse debuit. *XVI. Sept.*

## OBSERV. CLXI.

Non minori fermè erat ætate Vir quidam Senatorii ordinis latine quadantenus doctus, is doloribus ventris colicisque aliàs obnoxius etiam peste corripitur, sed dispari eventu. Vocor, exponit æger casum, omninoque se peste non laborare multis argumentis probare conatur. Verum tantum abfuit, ut me à sententia dimoverit, ut etiam suo sermone me confirmaverit inscius. Dolores hi non erant pungentes, non extensivi, nec fixi, sed potius gravativi cum lassitudine onerosâ. Verum ille firmiter credebat à Colica omne hoc esse, quod ipsum molestabat, pulsus celerior justo erat, capitis obtusus dolor, somni vacuitas, decubitus instabilis, tertio die bubo parvus in inguine: tum seriò in sententiam meam descendebat, sed serò nimis, paucis enim diebus elapsis abiit ad plures. *XVII. Sept.*

## OBSERV. CLXII.

Ancilla mea sana & benè cænata cubitum it cum liberis meis & muliere sene, quam uxor præfecerat liberorum custodiæ & servitu- *X V I. Sep*

 ti,

ti, nihil ſequius cogitans ſecurè placidèque dormit: circa diluculum matutinum mulieri adjacenti dicit; ô Anna, femur alterum doleo, parvumque tumorem in inguine tango. Surgens munia domeſtica obit, poſt Conjugi meæ aperit ſuum infortunium, illa ſtatim de medicamento, quod domi ſemper paratum habebamus, nonnihil ipſi porigit, ſed illa flocci pendens & morbum & medicamentum frequentat templum contra voluntatem heræ ſuæ, aſt in templo altius ſe inſinuante veneno ſyncope corripitur, vixque tamdiu inibi durare poteſt, quàm Sacerdos è ſuggeſtu deſcendit. Maturè itaque domum jam claudicando repetens omnem faciei vividum colorem exuerat, atque ut jamjam moritura animi corporisque vigorem amiſerat, quæ aliàs rubicundi erat coloris & ſanguinei habitus. Circa meridiem cum ab ægrotantium viſitatione domum redeo non parũ conſternatus ob infectionem ancillæ peto, ut ad ſororem ſuam, quæ peſte jam laboraverat, in maternas ædes ſecederet, illas jam tum eſſe infectas, matremque ſuam contagio mortuam, ibi omnia neceſſaria ipſi ſubminiſtratum iri pollicens. Paruit petitioni, præſcribuntur medicamenta, ſudat, ad maturitatem Chirurgi operâ perducitur bubo, ſed carbunculus in femore refractarius fuit, amplæ & latæ maculæ rubræ totum corpus faciemq; obſidebant, delirabat, ſedato delirio tam profundæ putredinis notæ conſpiciebantur in corpore, ut impoſſibile fuerit vel Æſculapio ipſi ipſam ſervare. Decimo, ſi bene memini, morbi die, cum paulò ante obitum ſororem ſuam orizam cum lacte coquere juſſiſſet eſtura pulmentũ illud inadvertenter efflat animam. Puerulis meis ob ſingularẽ Dei angelorumq; cuſtodiam nihil mali obtigit, nec mulieri in eodem lecto ancillæ accubanti. Erat juvencula & plena humorum pravorum, temperare ſibi non poterat ab eſu lardi crudi, præſertim manè loco jentaculi, firmiter ſibi imaginans propter pinguitudinem minus hærere poſſe in corpore adventurum contagium. Verùm caro ſuilla tempore peſtis in univerſum damnatur, tum propter ingenitam in putredinem inclinationem, tum humiditatem, quâ ſcatet præ carne reliqua, cùm potius hoc tempore corpora ſicca facere unusquisq; ſtudere debeat ſeduló: & tempore peſtis tanquam mors ipſa, caro porcina fugienda Capelluti conſiliô. Interim alio tempore, & modicè ſumpta quin laudabilem & uberem ſuccum generet, cum inter εὔπεπτα, εὔχυμα, μόνιμα & πολυτρόφα connumeretur, inficias ire minimè poſſumus, vel ſaltem Galeni, fautoris ſuillæ carnis, pluribus in locis teſtimonio.

OB-

## OBSERV. CLXIII.

VIrgo viginti præter propter annorum, invalido aliàs corpore & morboſo, peſtem contrahit, quæ bubonibus carbunculisque ſe manifeſtabat, multum dormiebat, taciturna erat, nec de morbo quicquam adſtantibus querebatur, decubitus quoque informis, ſudor præ animi impotentia nullus. Mater contra, quæ eodem tempore decumbebat, liberius loquebatur & præmeditatè, morbum bene ſentiebat, ſecus ac filia, æſtuabat, parum dormiebat, carbunculum unum habebat & bubonem, ſudat monitisque omnibus parebat. Hæc brevi moritur, filia ad plures dies ægrotans tandem ex fatali morbo planè plenèque eluctatur. Ita ludit ſæpe peſtis, ut quale inſtituas prognoſticum, incertus omninò ſis. XVII. Sept

## OBSERV. CLXIV.

VIR annos ſupra quinquaginta natus levi corripitur horrore & dolore capitis tolerabili, bubo erumpit in inguine, ſomnus paucus, ἀποσιτία adeſt, virium tamen non omnimoda dejectio, interdum obambulabat in cubili palliolo confuse contectus, & quia aër aſperior jam erat externumque frigus ægrotis inimicum, carbonibus vivis id alterabant, & ita absque ullo graviore ſymptomate liberatur. Declinante morbo uxor ipſius graviore corpore ventreque magis diſtento, quàm mariti habitus, affligitur eodem malo acerrimè, æſtuat multum, calor fortis, carbunculis inficitur bubonibusque, raro ſentit ſomni clementiam, appetitus planè dejicitur, periculosè ad aliquot dies decumbit, tandem poſt tres ſeptimanas evicit inſultantem hoſtem. Simul ægrotabat ejus filia major, plurimùm primis tribus diebus dormiebat, ita ut parum medicamentis in ipſius cura efficere potuerimus, ſopore profundo liberata alterum dolebat crus, bubo in inguine tangitur, alacrior fit, omnis mortis metus diſpellitur & absque labore ſaneſcit. XIIX. Sept.

## OBSERV. CLXV.

VIrgo egregiæ formæ clarisque parentibus nata, &

Ἀκμάιη πρὸς ἔρωτα καὶ ἡδέα κύπριδος ἔργα XIX. Sept.

*Jam matura ad amorem & jucundas Veneris res*,

etiam vulgariter hoc graſſans malum experitur, horrorem patitur cum levi capitis dolore, anxietudine premitur magna, floridus & nitens corporis facieique ſtatim perit calor,

*Cujus ſic tanta eſt retinendi cura decoris*

vomit non enormiter, vires citò collabaſcunt, ſtatim injicitur Clyſter, ſecatur



catur

catur vena tali, sudorifera præscribuntur non omisſis alexipharmacis roborantibus. Nil proficimus. Menses qui non multum ante consuetum naturæ cursum observaverant, paucis sui præsentiam nunc iterum indicant, tertio die placidè expirat.

## OBSERV. CLXVI.

XIX. Sept. Civis consistentis ætatis corripitur, nescio quibus, molestiis circa ventriculũ imprimis & cor, non poterat explicare satis, ubi calceus ipsũ urgebat, non dolor capitis, non bubo, non carbunculus, somnus paucus erat & interruptus, calor mitis, interim in lecto se detinebat, sed decubitum incertum servabat, lecti operimenta se non posse pati dicebat, appetitus cibi nullus, sitiebat modicè & cerevisiam nostratem cum intrito pane sorbebat, nonnihil vomebat. Cum de suspecto malo ipsum admonerem, seque ut operiret optimè & sudaret juberem, risu consilium excepit, firmiter credens rem omnem omnis periculi fore expertem. Tertio die cum venio ipsum visitatum, jam abierat ex hominibus non advertentibus vel ipso ægrotante vel adstantibus domesticis.

## OBSERV. CLXVII.

XX. Sept. Faemina quædam tres tantùm menses gravida abortit ex manifesta caussa. Linum hæc ex agro procul ab urbe sito suas jubet evellere, evulsumque curru in urbem vehi curans una se ipsam invehi postulat: annuitur postulato, cumque per pagum quendam esset eundum, rustici rusticæque more solito frigida affatim ipsam in curru perfundunt, unde de improviso territa domumque vecta patitur abortum, lecto detinetur aliquot diebus, tractatur partim ut infecta grassante malo, partim cura generali, quæ debetur ejusmodi ex abortu laborantibus, lochiorum fluxu immodico cessante cessat omnis morbus, integrèque restituitur nullo alio graviore symptomate ipsam infestante. Tribus hebdomadis elapsis iterum morbo affligitur & quidem verâ peste, carbunculum accipit, sed quia priore fluxu nimio corpus multis excrementitiis humoribus purgatum, saburrâque onerata natura se liberaverat, succedentem noxam levius tulit, citiusque sine multo incommodo expulit, atque in pristinum valetudinis statum brevi ipsa restituitur. Contra ejus maritus gravissimè laborat, aliquot carbunculis in pene, imo ipsa glande enatis, æstuat ejus corpus valde, hinc inde illud volutat, certo loco quiescere nesciens, delirabat, nudo corpore jacebat, nec diu imposita stragula patiebatur, hinc nullus sudor sperandus erat, solis alterantibus & alexipharmacis rem omnem peragere nobis relinquebatur, Dei beneficio & ope naturæ intentata

tentata certæ mortis ſpicula eludit, hodienum optimè valens. Miſera alioquin erat harum ædium facies, liberi omnes ægrotabant, quidam moriebantur ex illis, & ex domeſticis aliis unus alterque. Puer ſeptem annorum inſtar mortui jacebat maculis rubris purpureis liveſcentibusq; undique obſitus, tamen evaſit.

## OBSERV. CLXVIII.

XXI. Sept.

LAnii uxor gravisſimè decumbit peſte, bubo ſub axilla eſt ſiniſtra, carbunculos in pectore aliisque corporis partibus habet, univerſum corpus viribus exhauſtum erat, ſomni abſentia, mens immota manebat, nec vomitus, nec ſitis multa. Sedulò curatur ad quatuordecim uſque dies, tunc & mihi aliisque reſtituta videbatur integræ ſanitati. Verùm præter exſpectationem omnem recrudeſcit malum ex externa cauſſa & animi quodam affectu concitatiore, altero die moritur omnibus admirantibus inque vado illam ponentibus. Quid affectus animi ſive παθήματα valeant in corporibus noſtris alterandis & corrumpendis, notius eſt, quàm ut hîc operosè id congeram.

## OBSERV. CLXIX.

XXII. Sept.

BIbliopolæ viduæ puellam unicam à peſte reliquam in aliam adhuc puram domum ad cognatam ire compellit, ne in propriis impuris ædibus ſcintillula illa micans extingueretur. Non diu ibi moratur, & ecce carbunculo in femore inficitur cum repentina virium exolutione, ex nigrore liveſcebat anthrax, non attollebatur, ſerum tenue fundebat, quod pesſimum eſt ſignum & lethale carbunculorum, moritur. Ita paucis ſeptimanis omnibus ſuis liberis orbata eſt mæſta aliàs vidua. An in maternis ædibus contraxit venenum proprioque geſtavit in corpore hoſtem internecinum? An aliunde & apud cognotam primò infecta eſt? poſterius non videtur, nec enim vel antè vel poſt puellæ mortem quisquam in iſta domo decubuit, multo minus morti cesſit.

## OBSERV. CLXX.

XXVI. Septemb.

UXor Decemviri incipit malè habere ex ructibus infinitis & coanguſtatione quaſi cordis, non vomitum, non horrorem ſaltem ſenſibilem patitur, nec bubo, nec carbunculus, erumpit, nec macula ulla. Non peſtem eſſe hinc inde conatur probare argumentis patiens, ſeque pluries uterinis flatibus & hinc diſtentionibus ventris vexatam narrat. Penè me in ſuam ſententiam protraxerat, tamen ob alexipharmacorum cum uterinis mixtorum uſu non abſtinui, tertio die adſtantibus

bus non advertentibus somno consopitur sempiterno. Peste hanc sublatam è medio luculentò demonstrat subita mors, quam uterini flatus nullis prægressis gravibus symptomatibus inferre minimè potuissent, & præter rationem virium lapsus. Ita vel etiam tutissimis non fidendum.

## OBSERV. CLXXI.

*XXVII. Septembr.*

SUtor infirmæ aliàs valetudinis, & qui sæpe dolorem pungentem experiebatur sub mammilla sinistra cum parvo cuti concolore tumore tactum vix ferente, (qui tamen uno aut altero die ad dorsum & ventrem pergens purgante medicamento, carminantibus & unguento Alth. cum sem. Cymin. ol. Chamomill. & Spir. urin. volatili facilè tollebatur ex totoque cessabat) corripitur carbunculo in ipsa illa parte pectoris, quâ aliàs dolorem illum senserat. Ille veteri malo & consueto se correptum autumans tardiùs medicinam adhibet huic funesto malo, accedentibus enim cordis anxietate ingenti, virium dejectione, ἱφιδρώσει, tertio die naturæ satisfacit. Paucis ab hujus morte tota ejus familia contagio absumitur.

## OBSERV. CLXXII.

*XXIIX. Septemb.*

HActenus sat atrociter sævitum in viscera nostrûm est, sed ex divina misericordia longè latèque disseminatum venenum de sua virulentia & vehementia circa hæc tempora nonnihil remittebat, indiesque ægrotantium numerus minuebatur. Hinc observare est, quandoque & morbis fatales sui ortûs & occasus esse terminos. Verùm res meas accessusque ad ægrotantes periculosiores fore valde metuebam, cùm jam non in libero & patente aëre, sed concluso & hypocaustis concalefactis visendi essent ægri. Hoc tempore in viros & sexum virilem, cui Numinis benignitas hactenus multum pepercerat, magis sævire videbatur pestis, quæ ante fœminis puellisque satis superciliosè insultaverat. Vir Sexagenarius robustus horrorem passus erat mediocrem cum subsequenti modico calore, non æstuabat, non dolebat caput, non vomebat, pacata videbantur omnia, carbunculus nullus, nec ullus in locis emunctoriis bubo, in brachii tamen sinistri musculo, qui Anatomicis dicitur brachium extendentium primus seu longus, tumor durus non admodum elatus, sed latus, indolens reliquæque cuti concolor visebatur: similis tumor subnascebatur mento. Quid esset ambigebatur, Chirurgus aliàs satis exercitatus senexque primò pestem esse negabat, cui consentiebant & alii domestici: Contra ibam Ego demonstrans satis firmiter veram esse pestem, contestabantur eam & appetitus dejectio, virium defectus,

pulsus

pulsus celerior, ἀγρυπνία, alia. Verùm quod mireris, & quod ut singulare notes, est, quod bubo in medio musculo supra cubitum, ubi glandulæ nullæ sunt, sedem fixerat. Alterum, quod observes est, quod neuter ad maturitatem deduci potuerit etiam optimis & efficacibus medicinis, nec discussoria medicamenta vel tantillum eorum imminutionem promovere valuerunt, sed sola natura & temporis longinquitas tandem medelam refractariis hisce tumoribus invenerunt, venenumque superârunt aliàs vix superabile, tumoresque consûmpserunt salvo ad aliquot annos viro sene, nunc autem mortuo.

## OBSERV. CLXXIII.

*XXVIII. Septemb.*

VIr constantis ætatis & habitûs haut illaudabilis horrore corripitur & levi capitis dolore, sumit medicamenta domestica, sudat, altero die me vocari jubet. Invenio ipsum pro morbi magnitudine satis valentem viribus, jacebat in scamno, sine labore se erigebat, bene ratiocinabatur, cerevisiam juxta se positam cum pane & orbiculis Citri pomi habebat, non carbunculus, non bubo in conspectum se dabat, saltem de interpolata corporis anxietate querebatur, præscribo sudoriferum & cordiale; sequenti die eo ipsum visitatum, tunc agonizantem ipsum deprehendo eâque horâ animam efflaturum. Sic sæpe fallit pestis cautos incautosque.

## OBSERV. CLXXIV.

*XXVIII. Septemb.*

VIr fortis corpore & valens, sed animo præ mortis metu molli, laborat peste, multûm æstuat, bubonem habet sub humero, jactat corpus, insomnis est. Cum accedo ad eum valde febricitare ipsum offendo, multum & indesinenter loquebatur, non tamen ἄλογα. Aureos, si sanarem se, promittit montes; bene sperare ipsum jubeo, interim omnia ad interitum inclinabant, cumque animadverteret medicamentis parum effici, quodam die aliquot cantharos cerevisiæ nostratis Mummianæ (salubris aliàs potus) avidè bibit ad ebrietatem ferè usque ut referebatur, sperans sic vi & copiâ liquidi vim pestis elusum iri & fractum; Verùm tantùm abfuit, ut fregerit, vel saltem debilitârit venenum, ut multò magis obruerit suffocaveritque eluctaturum calidum nativum, brevique mortem oppetierit.

OB-

## OBSERV. CLXXV.

XXIX. Septemb.

QUid terror possit & metus in peste in superioribus notatum & ab aliis abundè doctum. Magnum quoque terrorem & repentinum etiam in ipsa peste frustra aliquando fuisse exemplis aliquot superius ostensum, & hac ipsa observatione ulterius confirmabitur. Pastor obesus ipso Michaëlis festo circa vesperam cæpit malè habere, altero die vocor, haut immoderatè febricitantem offendo, de Apostematis nihil apparet, de nihilo querebatur, quàm quod caleret præter naturam, in somnnm semper pronus, alia accidentia aberant. Eodem tempore & ipsius filia XV. annorum corripitur, cum patre in eodem cubili cubans, statim profundo somno per tres dies & excitatu difficili obruitur, nihil in corpore apparet, postea de dolore femoris conqueritur, bubo enascitur, discusso somno delirium succedit, imo ipsa phrenitis aliquot dies durans. *Lethargum si excipiat phrenitis, salutare esse Hollerius docet in Comment. ad Coac Hippocr. l. IV. §. XXIIX.* p. m. *CCXIII. non verò contra. Jacotius* ibidem in suo commentario dicit: *Qui ex phreneticis lethargici fiunt per resolutionem caloris nativi aut extinctionem, servari non possunt*, uti etiam in hac peste non semel notatum. Ægrè tandem admissâ Chirurgi manu ex aperto arte abscessu ingens puris & saniei copia prorumpit, qui post decem tandem septimanas consolidationem recepit, interim cordialia & expellentia adhibita multa sunt. Quodam die, cum ipsi medicinam facio, mediusque inter ægrotantes cum matre & alia, quæ ipsis ministrabant, sto, Ancilla aquam ex flumine Ocra, ædes alluente satisque altè fluente, vase exceptura caput nimis inclinando præcipitem se dat in flumen, uno alteroque obscuro clamore edito forte minor filius ipsam observat, visâque ancilla penè submersa inque aqua natante ingentem clamorem excitat & horrificum, quo ad aures nostras perlato perhorrescimus omnes relictisque ægrotis accurrimus subito, & quâ arte possumus semianimem fœminam extrahimus. Nulli obfuit repentinus hic terror haut absque singulari Dei providentia.

## OBSERV. CLXXVI.

I. Octobr.

UXor triginta præter propter annorum legitimo tempore parturit, quarta à partu septimana horrore corripitur pestilentiali & dolore capitis, bubo oritur in inguine parvus, infestant vigiliæ, sitit vehementer, delirat, calor multus, alvus pigrescit, infantem non nisi admonita lactat, maturatur bubo, tribus hebdomadis vix ad se redit. Altera à convalescentia septimana malè cæpit habere infans, brevi moritur plurimis lividis maculis corpus tenerum defædantibus. Fortè suxit cum

lacte

lacte materno & virus pestilens, secus ac *Salmuthus* testatur *Observationum suarum Cent. I. Obs. XCVII. quando infans ubera matris peste extinctæ ore apprehendens suxit innocuè.* Paulò post & reliqui duo liberi inficiuntur, in eorum corpore nihil observare fuit, quod monstraverit pestem, tertio à morbi invasione die ambo decedunt è vita. Puerpera hæc à servi sui peste laborantis inopinato ad se accessu perterrita malum hoc sibi enatum affirmabat; Servus iste vehementer delirabat, quodam die ex fenestra superioris domus partis proripit in aliam contignationem instar somnambuli, quò pervenire absque præsentissimo vitæ discrimine aliàs impossibile ipsi fuisset.

## OBSERV. CLXXIX.

*III. Octob.*

PAtricius proceræ staturæ & crassus, dum

*Brunsvigam serpunt contagia dira per urbem,*
*Nec non pestis atrox omnes crudescit in horas,*

reliquerat civitatem contuleratq; se cum suis in hortum suburbanum, quo vitaret, quod aliàs omnium humeris inhæsurum credebat, pestilens virus, & quàm diu ruri degit, satis salubriter ibi cum suis vixit. Cùm autem asperioris pro anni tempore aëris inclementiam cum parvulis suis diutius extra igne alteratum hypocaustum asperum & durius videretur, inito consilio, cum magnam partem horrida pestis desæviisset, lares civicos petit: at, ecce, in ipsa urbis ingressu & sub porta terrore quasi panico concutitur, & de dolore capitis obtuso queri incipit. Statim advocatur medicus affinis ratusq;, quod res erat, peste ipsum tactum, antipestifera præscribit cum sudorem elicientibus, non sequitur sudor, in pejus abit morbus. Mane in consilium adhibeor, invenio patientem ferè ἄφωνον, tremulâ saltem, titubante & vix intelligibili linguâ loquentem, in somnum pronum, artubus disjectis ac si levi ἀποπληξίᾳ tactus esset, jacebat, nullum ullius ἐξανθήματος signum. Nulli pepercimus labori & curæ, quò restitueretur, verùm oleum perdidimus & operam omnem, paucorumq; dierum spatio abiit eò, quò tandem tendimus omnes, ad cælica scilicet gaudia, mæstissimâ conjuge & liberis orphanis in hac miseriarum valle relictis, nec ante vel post ipsius mortem quisquam istis in ædibus ægrotavit. Tardè redire licet.

## OBSERV. CLXXX.

*IV. Octob.*

VIr consistentis ætatis, fortis corporis, & succi plenus laborabat continuo calore præternaturali tolerabili, non bubo, non carbunculus, nec pustula ulla comparebat, delirium cum risu per totum mor-

bi decurſum, vigilabat, de nihilo, quod mens infirma ipſi erat, querebatur. Et hunc primis diebus alius curat medicus, cui poſtea me adjungi facilè paſſus ſum. Verùm uterq; fruſtra laboravimus, licèt à debita & diligenti cura non deſtiterimus morbo ad aliquot dies nec meliore nec deteriore reddito: tandem inſenſibiliter labantibus viribus lapſus & ipſe planè eſt de ſtatu naturali atq; ad aliam vitam migravit.

## OBSERV. CLXXXI.

*VI. Octob.* SExagenaria vidua ſtatim initio concepti contagii mente movetur & varia ſibi imaginatur, triſtis & melancholica eſt, ſæpe poſcebat librum precationum, in quo porrecto parum tamen vel nihil legebat, ſemper aliò migrare ſibi præſumebat, unde à duabus mulieribus eam cuſtodiri neceſſum fuit, appetebat vehementer ardentem iſtum liquorem, quem aquam vitæ nominat vulgus, cujus ſi particeps poterat fieri, lætabunda & ſitabundo ore affatim hauriebat eum. Quodam die, dum viſito eam, invenio fores conclavis clauſas, voce & digiti ad fores appulſu præſentiam meam ſignifico, altera mulierum dum oſtium paulatim aperit intromiſſura me, mox accedens ægra ſimul egreſſum efflagitat & verbis & viribus, mihiq; ingreſſuro in ipſo limine occurrit, torvum videt, nullum verbum profert, librum ſuum precationum ſub axilla portat. Non mediocriter conſternatus improviſo hoc ſpectro refero pedem, dummodo illam ad lectum reducunt ambæ mulieres, tunc ingredior, & increpo eam minacibus verbis, promittit quietiores mores, verùm omnia verſa in pejus, & ex eo die ipſam non vidi, paucis poſt vitâ conceſſit.

## OBSERV. CLXXXII.

*IX. Octob.* VIdua juvenis à vitæ integritate & morum elegantia commendabilis in limine domûs ſtans me prætereuntem intrò vocat, eſſe quod me velit. Intro, tum ipſa obvertit mihi cervicem ſuam petens ut, quid puſtula illa in cervice ſignificet, ſignificem. Ego viſâ ea, quid malum! inquio, Tu in aere rigido ſtas & carbunculum peſtilentem in cervice geris? atque mox ut hypocauſtum petat, jubeo. Dicto audiens eſt, porritato ventre glande præſcribo ſudoriferum & cordiale moderatè refrigerans, evaneſcit carbunculus, ſed alium habebat in femoris ſiniſtri parte externa multum doloris urendo inferentem, hunc obſervabat altero vel tertio die, & tum ſe verè ægrotare ſentiebat, ita ut aliquot ſeptimanis lecto ſurgere præ morbi vi ipſi negaretur. Ex aperto carbunculo ulcus ingens naſcebatur, quod ægrè tardeq; ſui conſilidationem recepit.

Aliquot

Aliquot diebus præterlapſis ad pravos & corruptos humores dejiciendos paſſulas laxativas ſumebat cum fructu: gaudet adhuc optima & vitæ & corporis integritate claro & candido Viro nupta.

## OBSERV. CLXXXIII.

VIr annorum ἀκμὴν vix attingens corripitur bubone in inguine, leviter ægrotare deprehenditur, ſudat, nares ſangvine ſtillant cum εὐφορίᾳ, ideoq; abſtinuimus à ſecanda vena, non multum protuberabat bubo, occultò quaſi obruebantur vires. Plurima adhibuimus pro conſervando viro, verùm omnia nemine advertente iverunt in pejus, delirium mite ſucceſsit, ἀγρυπνία, ſitis, tremor manuum, quod funeſtum eſt ſignum febrium continuarum & malignarum, oſtendit enim naturam ex parte victam, conantem partim adhuc conſuetos edere motus. Altero ab hoc ſymptomate moritur die. *XIII. Oct.*

## OBSERV. CLXXXIV.

UXor juvenis gravida contrahit peſtem in inguine alvo ſponte ſolutâ do ſudoriferum, optimè ſudat, medicamentum quod ſe & fructum ſuum confortet accipit, melius habere viſa eſt. Poſtero die abortit præcedente levi iterum horrore, increſcit calor multum; pro quo ſedando omnem operam impendim9, ſed haut reſpondente voto ſucceſſu, altero die deficientibus lochiis hanc cum æterna commutat vita. *XIII. Oct.*

## OBSERV. CLXXXV.

DUcor ad virum quendam ex plebe, juvenem, robuſtum, mirè æſtuantem, aliquot dies jam decubuerat, caput facieſq;, ac ſi ex ardente clibano extracta fuiſſet, præ rubore ſplendebat, omnia viſcera incenſa videbantur, etiam frigidisſimis extingvere flammam iſtam & ſedare æſtum nequivimus, æſtuabant ita præcordia, ut Spiritum iſti præcluſum iri non ſemel æſtantes putarint, ſanæ adhuc mentis erat, in corporis habitu nihil maligni comparebat. Manum à ſecanda vena, cum tamdiu decubuiſſet, ne ipſe ipſum jugulaſſe viderer, præmeditatò abſtinui, quam ſectam initio morbi plurimum opis ipſi ad vaſa plethorico allaturam ſperaſſes. Poſtero die ponit ſpiritum. *XIV. Oct.*

## OBSERV. CLXXXVI.

VIrgo honeſta viginti annorum brevi concutitur horrore, quem ſtatim excipit capitis dolor tolerabilis: A præſcriptis medicamentis bene ſudat, à ſudore parvus bubo ſub axilla ſiniſtra ſe manifeſtat, mediocriter habet, hautq; quivimus protrahere amplius paululum *XIIX. Oct.*

protuberantem tumorem, nec ad maturitatem perducere. Ideoque tantùm expellentibus & corroborantibus insistendo tandem optimam virginem priori valetudini benedicente Deo restituimus. Vel paucum admiserat venenum hæc virgo, quæ aliàs non ita robusta videbatur, vel venenum multum remiserat à sua malignitate, erat enim in declinatione pestis, pariter ac cum incipiebat suas hîc exserere vires, non ita periculosè & cudeliter invadebat homines, ac procedente tempore.

## OBSERV. CLXXXVII.

*XIX. Oct.* ANcilla mercatoris vehementi affligitur febre, dolet caput, æstuat, rubet facies, irrequieta est, non dormit, mens non turbatur, statim subsequitur vomitus, quo omnia & medicamenta & alia liquida rejiciebat, nec ullo modo poterat sisti enormis iste & effrenis vomitus. Erant omnia magnæ putredinis notæ. (ex putredine omnem ferè pestem omnem suam vim deleteriam recipere putat Codrunchus Philosophus ac Medicus Imolensis libello suo de Sale Absynthii.) Tertio die animam exhalat. Omnia erant corrupta & altè veneno infecta ut vel ipsi Chironi ipsam servare ἀδύνατον fuisset.

## OBSERV. CLXXXVIII.

*XX. Octob.* VIr modestus & sedatus magnam diarrhæam incurrit cum εὐφορίᾳ, hinc periculi vacuus læta sperabat omnia, putans hâc vacuandi ratione omne noxium expulsum iri. Bubonem acceperat sub axilla sinistra & carbunculum in femore ejusdem lateris fluente adhuc alvo. Sistere alvum religio erat, vi propellere sudorem prohibebat motus contrarius, propinavimus tamen quæ paulatim ad cutem pellerent venenum, nec alvum morarentur, tantùm hâc medendi ratione effecimus, ut æger erectus in lecto sedere, ridere, edere potuerit, extraq; periculum positus videretur omnibus. Carbo à chirurgo curatur, abscedit caro corrupta, absunt omnia suspecta accidentia. Nono ab invasione morbi die incipit tibia affecti cruris vehementer dolere, chirurgus flocci dolorem pendens medicinam nullam adhibet, increscit dolor, altero die Ego quædam externè applico, quæ instanti gangrænæ appropriata deprædicantur, verùm frustra: lineæ rubræ in tibia conspiciebantur ad extremum usque pedem porrectæ, ἀκίνητος fit pes & ἀναίσθητος, dolor circa carbunculum jam evanuerat, vocatur alius chirurgus, secatur pes & planta ejus secundum longitudinem absque sensu, applicantur experta & aliàs efficacia remedia, sed cum nullo emolumento, hinc consilium de amputando pede

de capimus consentiente ipso ægroto sat animoso, imò urgente. Verùm quia ἀναισθησία illa & insensibilitas ad genu ferè usque perrexerat, metuendum omninò erat, ne pars veneni subtus cutem per venas ulterius versus Cor viam suam affectasset operationemq; nostram elusisset, & pro occisoribus postea ab ignaris traducti fuissemus, propterea prudenter à crudeli aliàs & periculosissima abstinuimus sectione, quod remedium tamen unicum supererat, ἐς γὰρ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισαι. Quarto die sphacelatus moritur. Ejusmodi Gangrænarum malignarum meminit *Hildanus in observationibus suis medico-Chirurgicis p. m. D.C. LXXVI.*

## OBSERV. CLXXXIX.

VIr obesus & intemperans, cujus uxor decubuerat peste eamque haut diu superaverat feliciter, incipit ægrotare non ad consuetum pestilentis affectûs modum, leviter febricitabat, difficulter spiritum ducebat, difficultas in verum asthma degenerabat cum magno stertore spirabat, facies ex labore spiritûs rubebat, vi sudor exprimebatur, ἐξάνθημα nullum in universo corpore, mens manebat sana. Etiam hunc peste affectum fuisse non dubito asserere, non potuit autem natura istius indicium facere in externo corporis habitu propter suppressionem virium, sicuti & aliàs ferè ἀκίνητος erat ob corporis molem. Brevi sive astmate sive peste suffocatus est. *XXI. Oct.*

## OBSERV. CLXXXX.

QVidam ex nostris mercatoribus primarius & Patricius celebris, cum funus quoddam ad loculum suum XIX. hujus comitatus esset, secedit paululum in pharmacopolium nostrum cum aliis itidem urbis nostræ Viris primariis, saltem ut de statu nostro præsenti, & etiam de bellicis Poloniæ rebus, cùm dies iste esset, quo Tabellarii Hamburgenses destinatò hùc redibant, inter se conferrent. Accedo & Ego ad illos, trahitur sermo ad horam usque inter nos, quolibet dein domum suam repetente, & mercator ad suas se recipit ædes, in via levi horrore corripitur, quem ex aëris autumnalis circa vesperam inclementia oriri suspicatus est. Verùm eo ipso vespere tres carbunculi supra genu exoriuntur purpurascentes, ille haut animadvertens angvem in sinu se gerere negligentiùs illos tractat, putans ex arctiore ligatura hæc tubercula enata, abit in publicum, etiam sequenti die ad Pastorem è suggestu populum docturum audiendum frequentat templum. Cùm autem tertio morbi die sentiret res suas deteriores fieri me accersiri jubet, in- *XXII. Oct.*

venio ipsum vestibus indutum in hypocausto adhuc obambulantem: remotis removendis ostendit mihi carbunculos livescentes ad modum trifolii positos, dico ipsissimam pestem esse & malè sibi prospexisse, quòd serò nimis curam eorum peteret. Alvo ad excernendum clystere sollicitatâ præscribuntur expellentia, cordialia, alexipharmaca, gravibus accidentibus non torquebatur. Meliora speramus omnes, sudorem elicere non poteramus, corpus jactabat, dies sabbathi, qui erat sextus ab incursione morbi, erat ipsi fatalis.

## OBSERV. CXCI.

*XXV. Oct.* Collegæ Scholæ viri eruditi & de adolescentibus scholasticis bene meriti uxor malè habet, in somnes noctes transigit, bubone afficitur inguinali, alia gravia symptomata non adsunt, brevi restituitur. Cum nondum omninò convaluit conjux, horrore levi corripitur & maritus ejus, bene sudat, & arte & naturâ, in corporis habitu nihil conspiciebatur pestilentis, optimè discurrebat, nec valde languebat, tertio die delirat, torvum videt, caligas induit, ambulat in domo. Multa adhibuimus ut servaremus hunc virum, verùm non cessante delirio medicamenta ad libitum & debitum exhibere nequivimus, propterea paucis diebus mors vitæ filum ipsi abscindit.

## OBSERV. CXCII.

*XXV. Oct.* Puella novem annorum omne, quod ore accipiebat, eâdem reddebat viâ, sive liquidum id fuerat, sive solidum, bubo aut carbunculus nullus, saltem capitis dolor & febris mitis cum incessabili vomitu. Hîc frustra laborâsses in procurando vomendi appetitu. Paucis diebus tenerum corpus animâ sua privabatur. Sanè si, quod res est, dicendum, non omninò abhorreo ab emeticis in peste, præsertim in corporibus cacochymicis, ad præcordia non nimium æstuantibus, & qui præservando corpora sua non fecerunt sicca, & ad quos præporè & statim post ipsam accessionem accesseris, adhibuerisque lenissima, vel quæ saltem nauseam excitare apta competeris, sine magno enim conatu & labore sequetur vomitus optatus.

## OBSERV. CXCIII.

*I. Novem.* Sartoris cujusdam uxor juvencula multo corripitur capitis dolore & calore præternaturali, statim omnia membra languent, cessat capitis dolor, in cujus locum succedit nimietas somni, sub axilla enascitur parvus bubo & carbunculus in fronte ruber, rubet admodum facies

facies, cordis anguſtia tenetur laborioſâ, præ cujus vehementia ſudorem prolicere nequibamus, alexipharmacis & febrem alterantibus medicamentis res agebatur omnis. His ipſis diebus & maritus itidem juvenis corripitur horrore, ſub utraque axilla oritut bubo magnus, primo & ſecundo die lecto ſe committere nolebat, partim quod fidebat multum corporis robori, partim ut dulcisſimæ conjugi operâ ſua ſemper adeſſet. Verûm vi morbi fractus diu dein lecto ſurgere nequivit ruptisque bubonibus ſatis longum tempus in ipſorum curatione fuit conſumptum, uterque feliciter intentatam mortem effugit.

## OBSERV. CXCIV.

PUella decem præter propter annorum nauſeâ tentatur & inani vomendi conatu, cui ſe adjunxerat ingens cordis anguſtia. Accurrunt illicò auxilium petituri, atque ut motum iſtum juvarem unicè efflagitant. Obtempero precibusque ipſorum indulgens leve emeticum præſcribo, quo asſumpto tantùm abfuit, ut voti compotes ſe factos crediderint, ut etiam jam morituram puellam certò ſibi perſvaſerint ex intolerabili & præcluſura fauces anguſtia & cordis anxietate, quâ corporis cum morbo lucta ſuperatâ erupit carbo in pectore, exin ceſſavit vomitus cordisque coanguſtatio brevique integrè convaluit. *III. Nov.*

## OBSERV. CXCV.

PUella duodecim annorum, cum ferè jam deſævierat contagium, à vicini, cujus liberi omnes ante VI. ſeptimanas peſte erant extincti, rogatur, ut ſibi collare, (vel aliud quid) miniſterio ejusmodi à ſuis deſtitutæ, in tergo acubus firmaret. Illa memor præteritorum cunctatur parum, alterâ vocatur vice, it effectum datura, quod petierat vicina, timidiuſcula puella: cum tremore acus tangit, & citò expedit, quod erat rogata, domumque reverſa horrore corripitur lectumq; petit, quarto die moritur. Laboraverat jam octo dies alvi fluxu, uti narrabant parentes, qui tamen fluxus lecto illam non affixerat, continuavit ille ad ultimam rerum lineam. In corpore nihil poterat notari vel tactu vel viſu, quod peſtem proderet, nec dixerim Ego eâ illam è medio ſublatam, ne huic præ illa favere dicar, judicent alii, quibus hæc res parum negotii eſt datura. *IV. Nov.*

## OBSERV. CXCVI.

ADoleſcens, cujus uterque parens peſte dudum deceſſerat opimâ hæreditate relicta, immani torquetur capitis dolore & nauſea, portatur *IX. Nov.*

tur in aliam domum, in qua diu nemo habitaverat, puraque erat ab infectione. Accersor crepusculo vespertino, offendo eum valde æstuantem & magnâ febre detentum, vomebat frequenter, jactabat corpus, sudabat sed symptomaticè & præ morbi vehementia, color faciei vividus omnis perit, medicamentis ne hilum proficiebamus, facies fit cadaverosa, moritur tertio die. Ad eundem planè modum XII. hujus lethaliter decumbebat Consulis quondam filius juvenis absque vomitu tamen, cujus etiam facies primo statim die in Hippocraticam mutabatur figuram, & huic tertius morbi dies fuit fatalis. Non memini quenquam servatum, cui initio morbi floridus faciei color omnis periit.

## OBSERV. CXCVII.

XVI.Nov. MAtronam honestam primariam, cujus ancilla iisdem diebus vehementissimè peste afflicta decumbebat cum vomitu enormi & lethali, leviusculè & cum pauco horrore pestis invadit, sub axilla sinistra parvus bubo accurratè tangenti occurrit, & carbo in mamma sinistra superficialis, neuter debito modo exire ac maturescere visus discutientibus curatur, sed remanebat in mamma duriusculus ille parvus tumor sine omni molestia inde percepta adusque ferè festum paschatos sequentis anni, tunc videbatur maturari, paululum increscebat, & venula ad axillarem tendens purpurascebat: Hinc illa aliquid monstri sibi portendi inq; cancrum abiturum hunc abscessum verita mihi multum reclamanti fidem non adhibet, sed alios scilicet exteros adit eosq; in consilium adhibet. Illi ut incipientem cancrum abscessum tractant tum intus, tum foris medicamentis cancrosæ dispositioni contrariantibus, efficitur nihil, tum iterum meæ Chirurgiq; prioris curæ se committit, & sine multo labore ex tumore nonnihil ichorosæ & purulentæ materiæ profluente brevi restituitur integrè. Bene adhuc valet.

## OBSERV. CXCVIII.

XIIX.Nov VIr sexagenarius quadratus leviter horret cum tolerabili capitis dolore, in genu accipit carbunculum parvum, aliàs nihil exit è corpore, mediocriter se habet, ad sudorifera bene sudat, appetitus non planè dejicitur, optimè ratiocinatur, vigiliæ nonnihil molestant, & sitis, quibus obviam ivimus medicamentis haut sine fructu. Protrahebatur morbus, & vires insensibiliter imminuebantur, quod cum animadverteret ægrotans rebus suis eò rectius prospecturus testamentũ condit, obsignat & me præsente delegatis à Senatu è lecto surgens per fenestram id porrigit, eodem vespere mortem oppetit. OB-

## OBSERV. CXCIX.

HUjus filius, cujus uxoris CLXXVII. graviter laborantis fecimus mentionem, nimia somni dulcedine tenetur, sine vomitu, sine capitis dolore, sine exanthematis ullis. Erat vir boni habitûs, & si verum est axioma medicorum: (quod Ego ubique verum nego) Talis in cute efflorescit color, qualis in corpore sangvis abundat, hic certè sanissimus fuit. Depulso somno tremor omnium artuum succedit, lingua balbutiens, error mentis, brevi moritur. Plurimum sudabat & arte & naturâ, quia corpus raræ erat texturæ, molle & humidius. Decumbenti Patri suo aderat frequenter, imò unà cum alio, qui pestem superaverat, potando ad lectum sedebat in noctem intempestam, contra quàm ipsi suaseramus & Ego & uxor ejus; verùm pietatem objiciebat filialem, & se malle quicquid perpeti & periclitari, quàm patrem deserere senem. *I. Decem.*

## OBSERV. CC.

SCholasticus juvenis Senatoris filius incipit ægrotare, ex qua tamen causa & ubi corpus laboret, non poterat directè exprimere; corpus omne languidum erat & segne, nihil dolebat, nihil in corporis habitu, quo quicquam pestilentis aut præternaturalis potuisset probari, conspiciebatur, interim lecto se committit, appetitus imminuitur, urina ex toto supprimitur, quod tamen primo & secundo die non animadvertebat, ἀναισθησίᾳ quadam laborabat vesica, nihil urgebat urina, non dolor circa pubem, non tumor nec ardor. Multa abhibuimus, ut proliceremus diutius retentam urinam, etiam secta vena brachii est, sed irrita fuere omnia. Postea adhibitus lithotomus est, credebant enim vesicæ calculo ipsum laborare, moritur postquam ad minimum octo dies stagnaverat urina. Non judicâssem peste hunc affectum, nisi simile quid in superioribus observâssem. Quàm terminum ponant medici ἰσχωρίᾳ, sive potius morti exsurgenti à suppresso lotio, non omninò certum. Vide *Cl. Tulp. Obs. l. II. Obs. XLIII. XLV.* *II. Decem.*

## OBSERV. CCI.

CUm declinabat peſtis multumque remiſerat à truculentia ſua ab uno aut altero commendatus quidam erro, militaris quondam tonſor, ſycophanta & nugator, qui aliâ ratione ſe ſuosque alere neſciebat, ex mera, ut puto, audacia, aut rerum ſuarum inopia pulſus huc venit pollicens certa & indubitata contra peſtem remedia. Admittitur, à plebe, quæ major pars civitatis eſſe ſolet, in conſilium auxiliumque, ut fieri aſſolet, adhibetur, quid autem præſtiterit ſingulariter, ignoratur. Unicum ſaltem referam, quod in virgine, quæ meæ ſe ſubjecerat curæ, patravit. Quando vocabar ad eam, multum æſtuabat, facies præ rubore ſplendebat, anxietas magna. Impero ſudoriferum, ſudat, dein vena ut ſecetur, ſuadeo, abeo. Me abſente, neſcio cujus mulierculæ ſuaſu, & hic vocatur, rejicit medicamenta mea præſcripta ſuaque ipſi commendat de meliori, quod dicitur, nota: Sumit de iſtis nonnihil, ab aſſumptis vomit enormiter, nigra ἄνω καὶ κάτω reddit, brevi moritur, atque ita incauta virgo temeritatis ſuæ pœnam luit.

*Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis*
*Tempus eget.*

Tonſor iſte postea laudabili mehercules Magiſtratûs mandato urbe exire juſſus eſt.

## OBSERV. CCII.

PAſtor, cujus domum etiam invaſerat Peſtis ancillamque ejus proſtraverat, necique propè dederat, quæ tamen veneſectione, ſudorificis, & alterantibus liberata eſt, noctu ſomniat ſibi minimum dextræ manûs digitum à cane nigro dentibus appeti morderiq;, quem morſum ut elideret aut declinaret adhuc alto ſomno ſopitus Paſtor magno conatu manum ad ſpondam allidit, quo motu & dolore expergefactus nonnihilque alteratus contemplatur digitum, maculamque in ejus medio articulo nigricantem obſervat. Uxorem accubantem celat hoc bono conſilio, & ſaltim præſervationis gratiâ ſudoriferum medicamentum ſumpturũ ſe ſimulat, ſudat optimè bis tervé aſſumpta Tinctura bezoartica

Ienâ

Ienâ ab Cl. Mœbio dono ipsi missâ. Officio pastorali ita jubente, cùm non admodum ægrotaret, exit suâ domo sacraque publica peragit. Quodam die ædes ejus prætereunti mihi monstrat digitum, tum Ego: Et tu habes ægrum digitum? Cura, ut valeas, carbunculus est, qui digito tuo insidet, consilioque meo exposito discedo. Optimo adhuc per Dei gratiam rerum suarum statu gaudet.

## OBSERV. CCIII.

TEmpore, quo Frisii boves quotannis huc veniunt circa Galli diem, ut vendantur scilicet, quidam senex ad duo stadia extra portam se confert visum eos, propter contagium enim urbem ingredi prohibebantur. Domum rediens senex ob aëris rigiditatem & inclementiam alget, sed nauci habens hoc frigus vespere lecto se committit nihil sequius cogitans. Manè adest insignis virium imbecillitas ex nulla manifesta caussa, art⁹ & membra omnia quasi delassata erant, brevi post succedit stillicidium urinæ sanguinolentum, increscit id & nullo medicamine poterat sisti vel in melius mutari, cætera securus jacebat. Imaginabatur sibi ex hernia intestinali, quâ plures annos affligebatur, omne hoc, quicquid præter naturam sibi accidebat, provenire. Curavimus hominem sedulò, sed sanare non erat in nostra potestate. Sine dolore ullo & graviore accidente animam suam immortalem reddidit ei, à quo eam acceperat, immortali Deo. Unde fundatur sangvis mejendo, & quomodo id discernendum sit, videre est apud Heurn. in Comment. Aph. Hippocr. sect. IV. Aph. LXXIIX. Pertinet & huc Aph. XXXIX. sect. VII.

*F I N I S.*